






AMSTELREDAMI,
Ex Officina Iohannis a Waesberge A°. 1663.

FLORUS HUNGARICUS.


Sive

RERUM HUNGARICARUM

Ab ipso exordio ad IGNATIUM LEOPOLDUM *deductarum*

COMPENDIUM

Auctore JOHANNE NADANYI de KERES. NADANY.





AMSTELODAMI,
Ex Officinâ JOANNIS à WAESBERGE,
Anno cIɔ Iɔ c LXIII.

Ad CORONAM HUNGARIÆ.

GEntis magnanimæ radians per ſecula *ſidus*,
Clarius an ne ſolo, *Clarius* an ne ſalo:
Dum fulges *gemmiſque* viris, te *Præſide* dudum,
Patria præſentem credidit eſſe *Deum*.

JOHANNES NADANYI.



Illustrissimo Comiti

D. FRANCISCO REDEI DE KIS REDE: Comitatuum BIHAR, & MARAMOROS supremo ac perpetuo Comiti: Celsissimi quondam PRINCIPIS TRANSYLVANIÆ Consiliario supremo: Fautori colendo.

Spectabili ac Magnifico Baroni,

D. NICOLAO NADANYI DE KERES NADANY: Equiti Aurato: Sacræ CÆSAREÆ Regiæque MAJESTATIS arcis & præsidii NOGRADIENSIS Gubernatori supremo: Patruo observando.

Illustrissimi ac Nobilissimi Domini,

Quantum ab omni ævo utilitatis attulerit historiarum notitia quantumque damni ejus ignorantia, testantur unâ mecum omnes illi, quibus vel antiquitas,

vel Politica prudentia, aut divina providentia curæ fuit: Nam utcunque personæ in hîc mutentur, eadem agitur fabula, & sive Comœdiam, seu Tragœdiam ludimus, ludimus jam à priscis decantatam. Dicebat Cyrus ad Filios quod Xenophon in literas misit: discite ex iis quæ facta sunt, nam hic optimus discendi modus: *Cum enim vel aliorum bona acta laudamus, vel mala vituperamus, aut porro laudata vel vituperata legimus; ipsi intendimus, ne in id incidamus, quod in aliis carptum videmus. Et videtur natura quasi in id propendere ut antiquitates & gloriam majorum evehat, quod quisque in suâ familiâ intendit, idem propinquioribus quibusque exoptans, nec aliud est remedium satietatis quam vel acta novisse, vel aliis nota fecisse.* Illud primum (*quod Livius retulit*) in cognitione rerum salubre ac frugiferum omnis exempli documenta in illustri posita monumento: inde tibi tuęque Reipublicæ quod imitere capias, inde fœdum inceptu fædum exitu quod vites! *Unde conjicio omne adver-*

adversum contingere ex eo, quod quis ibi gratiam venatur, ubi est invidia, connectenda disjungit, disjungenda connectit, utilia à noxiis, honesta à deterioribus nec prudentiâ propriâ nec aliorum exemplo distinguit. Bellorum exitus alii prosperi, plerique infœlices, quod etiamsi quis superaverit, victoriâ uti non potest, satietate famem parat, dum incipit plura posse habere, plura concupit non computat effusi sanguinis precium & bellum summum actum esse justitiæ vindicativæ, ad quem quando quis cœce fertur hoc plus peccat, quo plus est interfecisse homines, quam hominem. Ipsa bellorum adversitas plerumque ex causâ pendet: vel quod quis non reputet, quid in simili actu alicui contigerit; vel id quod contigit contra voluntatem suam non exacte sequitur, aut cavet: & ut cum Stoicis loquar quia utile putat quod non est honestum. Inde prona omnia; gentes in alios sævitiam exercentes, & ipsæ gladio subduntur, violenta imperia non diu continentur, quamvis Dei providentia ad tempus silere videatur. Movet sæpe bellum religio

quæ ubi persuasa est contrarios fidei occidendos, fatali quodam impetu d[illegible]tur; humani affectus impotentes, feri, vanâ superstitione tincti vatibus parent, bonum honestum negligunt: alienos à fide persequuntur, capiunt, cædunt immani temeritate, & modo à religione prorsus alieno. Quo enim major est persequutio eo major est timor qui ut vulgo dicitur primus Deum in orbe fecit: inde suspiria firmior constantia, mortis cum gaudio aditus, quem toties probatum vel in Ecclesiâ primæva sub Ethnicis Imperatoribus, vel in Valdensibus non est quod hic persequar. *Sanctus Bernhardus* sermone 66, *fidem suadendum non imperandum suadet, hæretici capiendi potius argumentis quam affligendi armis, quo spectat illud* Sancti Pauli: *verbum Dei inhabitet in vobis cum omni sapientiâ docendo, & commonefaciendo vos mutuo,* Lactantii: *Non est opus vi, & injuriâ quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda, ut sit voluntas quæ cogi ab homine non potest. Nec sane quicquam est quod Neronis, Trajani & cæterorum*

rum

rum Ethnicorum sævitiam detestemur, cum ipsi in idem incidimus. Sensit id Beatus Martinus qui Idacii Episcopi sententiam Gratiano oblatam, qua persuadebatur ut Priscillianistas & alios hæreticos extra omnes terras propelleret, interficeret detestatus, clamavit passim judicio, amicis colloquiis utendum esse: addam illud Maximiliani secundi modestissimi Imperatoris in eundem sensum alibi nobis relatum; religionem Christianam occidi, non occidere, scelus est conscientias agere, cœli arcem invadere. Et quia sive religio sit seu superstitio (hoc non disputo) à colente, pro vero cultu habetur; ex timore, ac adversitate, sive constantia seu pertinacia oritur, tanto majores viros protrudente Eclesiâ quanto magis premitur. Nunquam primæva Eclesia majori victoria vicit si qua Sulpicio & rationi fides quam cum decem annorum stragibus confici non potuit, potentiores non se in miseriis versari gloriabantur, juxta illud Justini Martyris: nolumus eos puniri sufficit ipsis sua pravitas. *Nec illud bellum seu privatum, sive publi-*

cum omittendum est, quod suscipitur nimiâ augescendi vel ratione opum, vel glore cupiditate; ex cupiditatibus odia, discordiæ, contentiones & bella nata; fortuna quos sibi fidit avidos gloria magis quam capaces facit, tanto magis in malum præcipitatura. Vera sapientia docuerat divina colere, humana diligere, Dei imperium, & hominum consortium recognoscere: quod tamdiu inviolatum mansit dum societatem avaritia distraxit, & paupertatis causa etiam his, quos fecit locupletissimos fuit. Solent enim per vastas spes in exitium raptari homines, multa concupiscendo omnia amittere: sublime ac erectum ingenium, pulchritudinem, ac speciem excelsæ, megnæque gloria vehementius quam caute appetit; quo magis cavendum erat ne quid in eo peccetur. Accedit ignorantia quæ quanto maior, tanto celerius persuasa ad contraria sibi deflectitur; libertatem, dignitatem ibi quærit, putat, ubi nihil est nisi servitium; dicit Esaias populus meus perit, quia caret scientiâ. Agricola socer Taciti cum Britanniam esset sortitus, ad Co-

mœdi-

mœdias, & ludicra provinciæ animum a-vocabat, laudabat civium ingenia, paulatim discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea; & conviviorum elegantiam: idq; apud imperitos humanitas vocabatur, cum esset pars servitii. *Idem, & hodie potentibus solenne; Regulos, devictos laudant quod se tradiderint, hostem quem valde metuunt vituperant, Regulis speciem amicitiæ declarant in occasionem retinendis; tanto magis pellectam provinciam, tanto majus in servitium raptaturi. Sæpe evertit Reges consuetudo occidendi: quo quis magis, vel minus potens est sui, hoc majoris, aut minoris ducit occidere: aula vestigia sequitur, ad omnia acta adulatur, ad ejus exemplum componitur, unde ex parvis initiis oriatur Tyrannis: exuitur quippe inter crebra supplicia sanguinis humani reverentia. Id totum quod ex eo oritur, quod maxima fortuna plurimum sibi licere putet; cum contrarium prorsus sit verum: qui dimissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere pauci sciunt, fama atque fortuna*

eorum pares sunt : qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere : ita in maxima fortunâ minima licentia est. Sed summum supra hæc inconstantia, & discordiæ malum in civilibus bellis perpetuum : Solomon triplicato filo, Scilurus & fœderati Belgii ordines complicatis sagittis quæ difficiliu rumpuntur concordiam expresserunt : & quia hoc valde tritum iracundia dolore impedita non perspicit, illud Sallustiii placuit apponere : ego vobis regnum trado firmum si boni eritis, sin minus imbecillum : concordià enim res parvæ crescunt, discordià maxumæ dilabuntur ; *cætera perscribere non est hujus loci, quo compendia rerum sectamur. Cur autem hoc opus quantulum cunque Illustrissimi, ac Nobilissimi Viri vobis inscripserim fuere rationes : æquum fuit, ut quorum benevolentià his superfui, ad eosdem redeat. Tu Illustrissime Domine Redei, in quem nostra familia fatali quo affectu ab initio ducta est, à teneris unguiculis me ipsum amplexatus es, in exoticis oris degenti*

genti

genti liberaliter ſubveniſti ; collaturus ſine dubio & plura niſi his bellis in extrema deventum eſſet: patriâ , aris , focis extorres lachrymabundæ peregrinationis ſocii paſſim diſcurrimus , neſcientes ubi pes ſit figendus ; niſi ex ſomno longæ expectationis Deus ſuccurrat periimus , & peribimus. In me porro quod à te venit , quantumvis gratâ memoriâ dignum , minus videtur eſſe ; quod meam Matrem Sororem poſt aſperam Patris amiſſionem quaſi infantes omni ope , atque auxilio deſtitutas ſuſtentare volueris , id vero ſerio triumphat: nec eſt quod putes per hoc quicquam tuis demptum , cui id Deus majori gratiâ repenſaturus eſt. Amiſiſti multa , arcibus tuis hoſtis potitus eſt , ſed devolvenda res ad Jehovam: vivit adhuc qui dederat , nec minor eſt ; patientiâ quam hactenus ſummâ admiratione in te vidimus triumphum ages ſuper hoſtium gloriâ ac victoriâ. Quid addam de te Spectabilis ac Magnifice Domine Patrue , cui vel in morte peculiariter à piæ memoriæ Domino Parente commendatus fui: vidit noſtra ætas cruorem illum , mortem ſum-

mi

mi viri, tanto tristiorem quanto minus licet dolere. Ego cum atrox rumor aures sed magis mentem percelleret utcunque impatientiâ Deum laserim, cœpi me ipsum consuetudine indurare: non metuendum eos. quibus corpus ab anima auferre licet, sed eum qui utrumque in Gehennam detrudit. Tu porro hac in parte miseriam meam, tuam esse credidisti, afflictionem meam, afflictionem tuam: postmodum confirmatus symbolo illo tuo fiat voluntas Domini; (*prout & ego illo* sufficit mihi gratia Domini, nihil homini forti nisi turpe contrarium accidit) *omni tentationi restitisti. Ita cum apud exteros affigeret, patriæ non oblitus ad hoc opus animum appellendo nihil fuit prius quam ut gratitudinem publice testatum irem, & benevolâ vestri recordatione mala quæ Deus interventu meliorum solet pensare, discuterem.*

De cæteris nihil est quod addam: complexus vos singulos, tanquam fautores rogo eundem animum, quo mihi inde ab initio adfuistis propagate, & summum vestri nominis veneratorem suscipere velitis.

Deum

Deum precor velit clementer vobis adesse vos vestramque familiam augere, & ditare.

Dabam Lugduni ad Rhenum A.D.cIↄ Iↄ c Lxiii, Idibus Junii.

Vestri nominis venerator

JOHANNES NADANYI.

BENE-

Benevelo Lectori.

Benevole Lector non est quod multis morei: ut in omnibus ita in hoc quoque opere propositum meum fuit, Patrię prodesse: quod cum armis efficere non potuerim vel hoc opere intendi commune non negligere. Et quia magnum est historiam scribere, quæ omni affectu seposito in puram veritatem feratur; nobis vel in hoc fuit negotium, ut plerumque eodem affectu scriberemus: sed quoniam miserabili hoc bello quo projecta, & prostrata sunt omnia, miseria, dolor anxietas nobis quoque crevit, ut eundem tenorem servare non potueri-

tuerimus, ſequenti editione meliorandum. Acceſſit ex eadem miſeriâ quâ aris focisſque extorris patriam parentem, & pleroſque conſanguineos amiſſos in exoticâ terrâ audivi; ut copia quoque rei familiaris non ſuppeteret, unde juxta corpus abunde proviſo facilius animus curreret. Vidi & contuli pleroſque auctores Hungaricos, ſed in omnibus hoc deſyderavi, quod maxime in hiſtorico requiritur aſſentationis refugium: Thuroczius paulo melior, Ranzanus, Ritius & alii ſtivas olent, Bonfinius ad ſua tempora unus fere inſtar omnium fabulis, & nugis originem Hungarorum replet; alias longinquâ oratione vero plus dicit. Nos igitur quantum licuit, fere coęvos conſuluimus, ob ſordi-

dum (ut videtur) hoc opuſculum, plus ſexcentis auctoribus perlectis; quos partim adjeci, partim adjicere tandem tæduit; cujus facti jam pœnitentiâ ductus ſequentem editionem ſi Deo viſum eſt fœlicius exornabo. Culpabitur hic aliis non idem ubique tenor ſermonis: quem nos quantum licuit ſervavimus; ſed varia conferendo facile fuit errare: aliis juvenilem animum non eſſe ſcribendis hiſtoriis profertur: neque nos ii ſumus qui cum ſummis viris nos comparemus: ſed cum viderem cæterarum gentium acta paſſim legi, noſtra vel quod in compendio non extent, non omnibus haberi poſſe, vel nec dum inde ab initio hiſtoricâ fide repetita extare, malui aliquid agere, quam à nullo hoc malum

lum ſanatum videre; quod ſi cui in his quędam vel pleraque minus arridebunt, ſciat nec nos ideo ſcripſiſſe, ut omnia omnibus placeant: illud ſaltem ab æquo lectore accepturi ſumus, ut non prius noſtra laceret, quam ipſe meliora ſcripſerit: invidos futuros vix credimus, fatemur enim nos eſſe infra invidiam, malevolos contemnimus. Quia porro nullum exemplar noſtri operis vidimus niſi poſtquam editum eſt; innumera hic ſunt ſphalmata typothetarum; ita ut interger ſenſus interdum pervertatur alibi integræ dictiones omiſſæ, quæ niſi addentur, omnis conatus in legendo erit fruſtraneus: cæterum quod ſi Deus meliora tempora dederit, à pacifico animo meliora expectabis, & hoc noſtrum te juvandi

di ſtudium æqui bonique conſules. A vitâ Mathiæ primi plerumque Nicolaum Iſtuanſi ſequuti ſumus quod is pluſquam alius hæc ſcire potuerit: ſed quia vel interdum in Cæſares proclivior, vera negligit, vel vitia occultat pleroſque noſtri & ſuperioris ſeculi ſcriptores quantum in hac penuriâ licuit conſuluimus: Flavium Aſcanium Centorinum qui de bellis Dacicis ex ipſius Ferdinandi, & Caſtaldi commentariis ut ſctibit hiſtoriam edidit: Johannem Michaelem Brutum qui Stephani Regis Poloni juſſu ad ſcribendum ſe appulit, Thuanum & alios de quibus non eſt dicendi locus. Quod latinitatem attinet vel maxime latini in hac brevitate fieri non potuimus: vel ętate juvenili,

aut

aut animis anxiis turbato hoc rerum ſtatu præpediti: quantum fecimus tuum eſto judicium.



In honorem Nobilissimi D.

JOHANNIS NADANYI

FLORUM HUNGARICUM

edentis.

CARMEN.

Arguta priscis fabula Seculis
Phœbo Sacratum protulit alitem
Urgentis eluso senectæ
Sponte iugo, superare fatum.
Invisa sævis damna superfluæ
Ætatis ultus, vindicat ignibus
Vernante victurus iuventa,
Se reparans redivivum Eoo.
Haud semper arcto scilicet obvia
Claudunt sepulchro funera: serior
Quin sæpe ferales cupressos
Fronde cinis viridante penset.
Quid fata Phtyus despicit invida
Ridens Achilles: Quid Pharii ducis
Honos? Triumphales ferendum
Et volitant Aqnilæ per ævum.

Quid

Quid capta Grajum Pergama? Nobiles
Thebæ? superbis quid Babylon jugis?
Commissa vivaci resurget
Æmula Romulidum litura.
Carthago : Gentis gloria Punicæ
Hac vivit Audax Hannibal : hac feris
Secura ventura ruinæ.
Mœnia quassa vigent Mycenis.
Frustra vetustos irriguus stupet
Nilus labores Pyramidum cadet.
Factum manu : vivax perenne
Ingenium statuit trophæum.
Ergo profundis HUNNICA *non timet*
NADANIO *Gens vindice noctibus*
Mergi, feraces post favillas
Perpetuâ decoranda vitâ.
Recto potentem dum Tanai ATILAM
Gradu, citatis passibus excitum
Duci nec invitâ Suadâ,
Hesperiis Tyberique frenat.
Hinc longa strictis agmina fortium
Claudenda sistit RACOCIO *Ducum*
Chartis ; adornans acta verbis
Per memores numeranda fastos.

Iam

Iam fabulosi naufraga credulo
Commenta vulgo BONFINII *ferant:*
Labor doloso jam facessat
Dædaleus fugiendus astu.
Mactata tanto munere Patria,
Domoque digno NADANIDUM: *data*
Vita JOHANNEM *tu vicissim*
Participem facies superstes.

Scripsi Lugduni Batavor. VI. Calend. Junii A. 1663.

PAULUS TSERNATONI TRANSYLVANUS.

PRO-

PROOEMIUM.

RES Hungariæ varie jactatæ, compendio dicturus sum: incertus animi unius Regni, an Europæ omnis appellem. Exponendum enim quomodo gens ante non visa, quin vel nomine ipso inaudita; novum constituens regnum, in dies partim incrementa cepit, partim decrevit; adeoque pro inconstantiâ terrorem nominis sui circumduxit, aut spem vicinis addidit. Summa præterea dominia in unum diem cumulare intendens, per mille ducentos & quod excurrit annos tantûm operum bello paceque gessit, ut suâ fortunâ majus ausa facinus crederetur. Tam late finitimos imperantium uti legibus cogens; ut dum ejus acta traduntur: Europa nec Asia parte exclusa, quasi in unius regni res gestas confluere videatur. Quas scribenti mihi cognoscere vicissitudines rerum mortalium dignum est; maxime quo pacto in potentiam Hunni excreverint. Verum quoniam cum rei scribendæ magnitudo, tum variata Regum dominatio aciem intentionis abrumpat; nihil melius reor me facturum, quam si brevi conceptu totam ejus quasi effigiem lectori videndam prælebo. Iuxta intervalla igitur considerata gentis Hungaricæ, prima ætas ferocissima fuit profana grassante per sexcentos prope modum annos religione: quo

eos tempore belluarum omnium sævitiam superasse constans memoria perhibet. Sequens à Geysa, & Stephano Christianis principibus, ad Ludovicum Caroli filium trecentos quadraginta annos patet: quâ diu colluctata, interdum & prorsus expilata, emergere non dubitavit. Inde ad nostra tempora anni trecenti triginta; quibus in senectutem vergens, retro ferri sublapsa Hungarorum res cœpit; nisi quod sub Mathia lacertos moverit, & senectus imperii quasi reddita juventute reviruerit. Quo ablato fatis imperii urgentibus, pristinam virtutem amisit; occupata magna parte à Turcis. dum Hungaria dissentiret in Ferdinandum Imperatorem, & Iohannem Zapolianum Vayvodam Transylvaniæ, ita ut nunc Hungaria in potiore Hungariâ queratur. Dùm enim insociabile est Regnum, & à plerisque appetitur; pluribus quam quod est sufficiens corpus oneratur: Et imperium quod ab uno sustentari poterat, ab omnibus sustentum ruit.

FLORUS HUNGARICUS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Asiæ, & Europæ divisio.

Scythia à veteribus in Europæam, & Asiaticam divisa est; illam à Tanais fontibus per Mæotidis, & Ponti Euxini littora ad Istrum vergere statuerunt. Ratio eorum cui innitebantur fuit, quod Tanaim vere disterminantem Asiam ab Europa manifesto errore crediderunt: A Tænaro quippe extremo Peloponnesi promontorio ad Tanais fontes, non ultra dimidium lineæ ad Septentionalem Oceanum pertingentis comprehenditur. Id quod ex Alexandro Gaguino, Barone in Herbersteyn aliisque rerum Moschoviticarum scriptoribus petitur: Tanais enim ex majoris Russiæ, & minoris Tatariæ confinio: lacu Iwanowo Jezioro incolis nominato oritur; non ex Riphæis montibus ut antiquitas credidit.

 Quamvis

Quamvis antiquissimus scriptor Herodotus idem perspexerit: dum octavum flumen Scythiæ dicit Tanain superius è vasta palude profluens, quod in aliam vastiorem nomine Mæotin diffunditur. Imo ut Mathias à Michov aliique rerum periti tradunt: Riphæi montes, vel qui ipsis conjungerentur Hyperborei, non sunt in rerum natura: accedit qnod in Septentrione nulli montes Norvagicis altiores; quorum perpendiculum vix dimidium fictæ dictorum montium altitudinis æquat. Montes hos esse fictos olim testatus est (*a*) Strabo: dum ex ignorantia locorum factum scribit, ut Riphæos montes, aut Hyperboreos Auctores commentirentur. Nec illud prætereundum quod ubi sint, non conveniat: Posidonius alpes separatas esse velit: alii montis Caucasi partem, Dionysius Afer ad Borysthenem collocat, Damastus ultra Arimaspos submovet: Ptolemæus, Plinius aliique Tanaim ex iis fluere commenti sunt. A lacu porro supra nominato tantum fere terrarum interest ad Oceanum, quantum supra à Peloponneso divisum est. Summus Geographus Philippus Cluverius adverso amne, à Tanais Fluentis ad ejus flexum, oppidumque Tuja qua Volgæ dextræ ripæ appropinquat, cursum instituit: inde in transversum jugum, à Volgæ læva ripa, ad Rhimnicos montes, ad oppida Veliki, Tumen,

(*a*) *Libr. II.*

men, & Leptin; inde fecundo Carambuci (quod hodie nomine Obii notius eft) ad fretum Naffovicum. Ortelius rectam â Tanai lineam ad Sinum Granvicum, quod aliis Mare album ducit. Quæ & diftinctio obfervabitur nobis: Plurima alias loca Europæ affignanda funt, quæ tam veteres, quam recentes Afiæ adfcribunt.

CAPUT II.

Scytharum extenfio.

VAftiffimum creditur effe fpacium, quod Scytharum folitudines occuparunt: eorum que nomen plus quam aliæ nationes extenditur. (a) Quandoquidem notæ verfus Aquilonem gentes uno Nomine Scythæ, vel Nomades appellantur; voce ab una no nobiliffima gente in reliquas derivata. Hinc eft quod undiquaque tranfit, idemvocabulum in Sarmatas, & Germanos. (b) Quin Scythia Afiatica tam vafta eft, ut ejus fines tam anteriore, quam præfente feculo ignorentur (c): regionis nimirum, quæ ad Orientem oppofitis littoribus, Septentrionem Oceano Scythico, Occidentem Ponto, Cimmerio Bosphoro, Mæoti, Tanai, & linea ad Mare Album ducta; Meridiem Indis circumfcribitur. Hinc accidit ut fretum Ania-

A 3 num

(a) *Strabo.* (b) *Plin.* (c) *Solin. Mela Mathias à Michov.*

num adhuc dum controverſiam patiatur; aliis nullum eſſe putantibus; pleriſque an guſtiſſimum, per quas terras Schytarum in America originem quærimus. Nemo enim quamquã inſigniter potentium, has regiones à ſe victas eſſe gloriari poteſt: (a) Legimus expeditiones in Scythas tam verſus ortum, quam occaſum, nec tamen valde ſi terram emenſam conferamus notabilem; Cyrus Jaxartem non attigit: Darius Europæos aggreſſus, ad Daciç montes non pervenit. Trajanus porro ulterius quam præceſſorum ullus licet pertigit, fontes Maruſii non attigit: Alexandri M. arma interiores Schytæ audivere, non ſenſere. Imo ſuo tempore unius Mæoticæ paludis vaſtitatem ignorari Plinius conqueritur: dum multi Oceani ſinum, alii anguſtia ab eo diſcretum affirmare ſunt auſi. Et quamquam ævum ſequens plura compererit, maximam regionis partem non perſpexit: Quamvis enim Tatarorum Imperatores Zingis Chan, & Temur Chan univerſæ fere Scythiæ dominium quæſiverunt; eorum que res geſtæ Arabibus conſignatæ manibus multorum teruntur: loca tamen illa barbaris, atque inconditis obſuſcata nominibus qualem qualem ſui notitiam obtrudunt. Ipſum vocabulum Scythia antiquis temporibus non ultra Tauricam Cherſoneſum ſe extendit; qua ratione ducens Strabo eam

(a) *Herod. Juſt.*

eam parvam Scythiam appellat: quæ hodie Antonio Pineto Precopſca, & Gazara. Imo ratione haud diſſimili hodie Tataria minor indigitatur: quicquid enim barbararum gentium ætas anterior Scytharum nomine comprehendit, maximam partem poſterius ſeculum Tataros vocavit. Poſtquam autem armis potentibus nationes multas Scythæ fregiſſent: accidit (nam victus in victoris nomen ſicut poteſtatem abit) ut Septentrionalibus cunctis nomen eorum tribueretur. Plena regio pugnaciſſimarum gentium, latrocinando, prædas agendo plus quam ulla gens addicta: hinc quamvis & ſterilitatem ſoli culpare poſſis, deſerta eſt, habitatoribus que vacua; ita ut Planocarpus Innocentii quarti legatus, potiorem Tatariæ partem per loca arenoſa, incolis que deſtituta peragraverit. Accedit quod certas fixaſque ſedes non habeant: urbem ædificare nefas eſſe putatur, incognitis locis quod de antiquis Nomadibus memoriæ vetuſtas prodidit: (a) quorum hi & progenies ſunt mapalia ſua circumferunt. Hanc deſertam Tatariam quia ad rem noſtram facit ex Arabico ſcriptore vitæ Temuris explanaturi ſumus. Nominatur ei deſertum Kafshak & Barka; & circumcluditur ad Auſtrum Mari Caſpio, & Mari Ægypti (quo nomine Pontus Euxinus innuitur) item interjacentibus Circaſſiorum

(a) *Herod. Strab.*

Mammelucorum montibus: ii antiquis Caucasii dicti: ad orientem confinia sunt Chovaresmiorum, qui Straboni Chorasmusini, Stephano Chorameni, (populi ex Massagetarum, & Sacarum gente, ad quos è Bactrianis & Sogdianis Bessus & Spitamenes fugerunt) Atrar, & Schagnak, donec ad aliorum regiones decurrens usque ad turquestanam, (quæ inter Oxtum & Jaxartem sita est,) in regionem Getarum & Sinensium se immittit: qui cum Mogolibus, Chatæisque terminos jungunt. A Septentrione est Amir Sibir, seu regio Sibirorum, qui & Saberi: item solitudines ac deserta, arenæque montium instar: Ab occidente Russorum Bulgarorum quibus confines Paschartii, Ottomannicum que jacet imperium. Tribus horum plurimæ sunt lingua divisæ: summa omnibus simplicitas, à quibus quia integritatem vitæ retinent fraudes, & aliæ fallendi artes (a) quod de antiquis quoque Scythis legitur exulant. Sinenses quamvis hodie noti, qui intelligantur dubitatum est; hos Ptolemæus supra Seres ubi vulgo Cathæi ponuntur collocat; alii cum Seris confundunt: eo quod Mela Seres media Eoæ partis incolere dixit. Chatæi similiter nigri, qui & Kara Chitai ex Rubruqui, Vincentio Belluacensi & Planocarpo satis in media Tataria noti; Alios qui simpliciter Chatæi vocantur Magi-

nus,

(a) *Mela Herod.*

nus, & plerique ſupra Sinenſes, cum Seribus confundunt: oculatiores in ipſa Sina collocant, nec noſtra hæc eſt lis, niſi ut illuſtrentur dicta; qui ſumus propoſiti pertinaces: Illud ſatis conſtat, quæcunque Curtius, Strabo de Cathæa ſcripſerunt, totidem fere documentis Martinium de Suchoven provincia Sinæ repetere:; & Regnum Sophitis quod Arriano idem eſt cum Cathæa, ſapientiâ, bonis item moribus excellere fertur: id quod nulli nationi, ęque ac Sinenſium competit, rei literariæ ſcientia à multis inde ſeculis glorioſæ.

CAPUT III.

Etymologia nominis Scytharum.

Scythas à Scytha Herculis filio nominatos prodidit Herodotus; cumque ob arcum fortius tenſum Agathyrſæ, & Gelono fratribus prælatum: quod quia fabuloſum eſt, ſinceris hiſtoriæ rimatoribus non acceptatur. Annius Viterbienſis in Pſeudo Beroſo ex Araxa priſca Noachi conjuge, genitum Scytham, obtrudere non dubitavit: quo auctore refutando ut ſuperſedeam, partim præſens conatus, partim ſummorum Virorum lucubrationes monent. Goropius Becanus ab arte ſagittandi hariolatus eſt, & y in u Cimbricum mutans ex Scythis Skutters formavit, eo quod hæ nationes peritia ſagit-

tandi valerent: quo pacto & antiquus commentator, Horatii profugos Scythas interpretatur; eo quod fugientes jaculentur. Sed hæc vix sanum moveant; quomodo enim antiquissimi Græcorum à Cimbris tale quid hausissent, vel acceptum retinuissent incompertum est. Mihi maxime veritatem attigisse videntur ii, qui Scythas, Getas, & Gotthos ejusdem nominis volunt esse, & vocabulo γήτης à Græcis præpositum Σ more Aeolum scribunt: Eorum enim est proprium Σ vocibus consonante inchoatis præponere; unde Sgitæ vel Scythæ appellati. Sane Arabes Geta vocabulum per *Gsim* scribunt: quæ litera in pronunciatione tenue S. refert. Ipsum porro nomen Geta à γέσς (quum ς in τ sæpe mutetur) voce Romanum pilum significante deducitur.

CAPUT IV.

Scytharum antiquitas, & gentes ab iis ortæ.

SCytharum gentem antiquissimam semper habitam Justinus affirmare non veretur; quamlibet diu cum Ægyptiis de vetustate gentis certasset: Prius enim montana sunt culta, post in planiciem descensum. Et nulli ferme Europæ, aut Asiæ populi, qui non à septentrione promanaverint: inde propagines profectæ nationum: quibus Europæ Asiæ

ſiæ que partes conſitæ fuerunt. Utcunque autem notum ſit maxime ex hiſtoria proxime ſequente diluvium, vetuſtam eſſe hanc gentem: unde Melæ primi hominum dicuntur, & quod ii plurimis originem dederunt: Herodotus Scythas ſe omnium noviſſimos dicere ſcriptum reliquit; & contentionem cum Ægyptiis non Scytharum, ſed Phrygum fuiſſe; quæ & Claudiano ſententia videtur ſtetiſſe: Hæc conferre ſatis fuit. Illud notum Scythas ab Aſiæ partibus penetraſſe uſque in Indiam; ubi Indo Scythas Parthos profudit. Qua ratione Sarmatæ gens Scythica habitu armiſque Parthis proximi apud Pomponium Melam: Parthi Scytharum exules apud Juſtinum, & Ammianum Marcellinum. Quorum una pars in Illyrico conſedit; Unde Stephanus, Polybius, & Dio *Parthon* gentem Illyriorum meminerunt: Ptolemæus Parthos in Macedonia ponit: Strabo & Mela circa Dyrrhacium, & Apolloniam, uſque ad Ceraunios montes, Bulionibus Taulantiis que proximos, Maxima vero inter Euphratem, Hyrcanum mare, Dahas & Indos ſedes fixit; quæ regio potiſſimam partem Straboni & Plinio Ariane poſt Ariorum victorias dicta: nam illa extenditur ab Indo flumine ad os ſinus Perſici, comprehendens que Ariorum imperium; Gedroſiam, Drangianam, Arachoſiam; Paropamiſum, Sogdianam, Parthiam, &

Carmaniam in se continet. Ipsi Parthi natio eadem sunt cum Persis, quamvis apud Græcos regionibus distincti: Parthos enim ibi hi collocarunt ubi hodie Isphahan, Persas ubi Istachar. Nec nomina diversa sunt: nam cum Æolum moris sit s in t ut alibi relatum est mutare ex Persis Parthi emerserunt: quibus addendum Arabes non distinguere inter Reges Aderbigianæ, & Faras. Nec minus late versus Occidentem Scythæ evagati: quid hodie regiones Polonorum Germanorum, Pannonum, Danorum nisi sedes antiquorum Sauromatarum, Gotthorum, Getarum, Hunnorum, ac Cimbrorum; gentium maxime à Tanai ortum ducentium. (a) Inter quam & Thyssagetas Turcas que Amazones, imperium muliebre: Harum aliæ juxta Thermodoonta & Tanaim in Themiscyræ campis consederunt ut Diodoro & Curtio proditum; aliæ ad Mare Caspium Hyrcanis finitimæ; ubi inter Amazonas Gelæ, & Legæ populi Scytharum, à quibus concubitus petiti. Et quamvis Strabo neget talem sexum fuisse: Plato tamen fide dignus auctor Sauromatarum mulierum regimen suo tempore stetisse affirmat, à quo nec Hippocrates abludit; hodieq; prope Angolam in Africa ex mulieribus consistens imperium fidem facere qualem qualem potest. Memorablle est quod Scholiastes Apollonii tradit,

(a) *Mela.*

tradit, eandem esse linguam Amazonum, Thracum, & Getarum: unde earum originem à Getis hariolari licet. Nomen ipsum Amazonum ab alterius mammæ jactura quasi *ἀνολ μαζῶ*: vel ab *ἅμα ζῶσαι*, quod simul sine viris ætatem agant *S*ervius ducit. Quorum post Alexandrum incertum quomodo; memoria omnis periit. *S*unt innumeræ præterea gentes *S*cythis nomen dantes: Celeberrimi eorū Sacæ *S*ogdianis contermini, Massagetæ qui senio confectos in frusta cædunt, de his infra: Essedones supra Mæotim, qui & Nomades: Anthropophagi ultra Jaxartē, humanis corporibus vescentes: in Hyperboreis Arimaspi, quos singulis præditos oculis antiquitas fabulata est, eosq; ad Gesclitron continua cum Gryphis auri causa gerere bella. Adde Chomaros, qui Massagetis inter Oxum, & Jaxartem contermini; quorum que vestigia nostro ævo in Hungaria supersunt: Coamanos qui & Cumani, Agathyrsos corpora pingentes, & Gelonos in Tatarorum nomen transeuntes. De his, quia fabulis multa antiquitas contaminavit, nobis vera prolaturis obiter meminisse satis est. Non diversi ab his quos Trebellius Pollio *S*cytharum populos memorat: Peucini: Peucæ insulæ Danubii incolæ: Trutungi, Ostrogotti, *S*igipedes: qui & Thuringi, Orientales Gotthi; ac Gepidæ; addit Celtas: quorum pars in Thracia sedes habuit; pars Germanis, Gallis & Britannis nomen dedit.

CA-

CAPUT V.

Myſi, Daci, Getæ, & Pannones.

MYſi utramque Danubii ripam tenuerunt: contra quos innumernm Darius exercitum duxit; Galactophagi hominum gens juſtiſſima Homero canuntur. Horum pars Getæ: quorum Rex Dormichætes tanto deſpectui divitias habuit, ut contentus victoria Lyſimachum in poteſtatem redactum gratis dimitteret; quæ ſimplicitas cauſatur & hodie, cur plerumque alienigenis ſubſint. Imperium eorundem tenuit *S*yrmus, Rex quippe Triballorum, qui in inſulam Peucen fugit metu Alexandri Magni: cujus que fama noſtro tempore ſupereſt, ob Regionem Hungariæ, inter Belgradum *S*abaczum, & Varadinum Petri *S*yrmium appellatam. Ab his profecti ſunt Myſi, qui inter Lydos, Phryges, ac Troas ſedes ad incolendum accepere; parili ſimplicitate nec ſervire volentes, nec imperare cuiquam deſiderantes. Daci, Davi, Daæ, & Dahæ ſunt idem populus: quorum pars ad montana Tranſylvaniæ conſedit, pars inter Oxum, (is hodie Jihum) & Jaxartem propinqua Maſſagetis vixit: quod ſpacium quia ingens eſt, adduci non poteſt *S*trabo, (*a*) ut eandem utrique genti originem aſſerat:

(*a*) *libr.* 3.

rat: quod quam ſit debile in longinquas terras factæ migrationes evincunt. Inter Dacos, & Getas Plinius non niſi nominis, diſtinctionem agnoſcit; plane prout Cottiſon apud Horatium Rex Dacorum dicitur: apud Suetonium Getarum Princeps appellatur. At Strabo ſic differre eos putat; ut Getæ ſint qui verſus Pontum, & Orientem inclinant: Daci, qui in diverſum ad Germaniam, & Iſtri fontes vergunt; quanquam mox addat Dacos eadem cum Getis uti lingua. Nec in eo convenit ſibi quod Maruſium per Getas deſcendere, & in Danubium labi ſtatuit: quem diſtinctione obſervata per Dacos labi dicendum erat. Hoc enim flumen eſt Herodoto Maris, aliis Marſus aut Margus, Hungaris Maros dictum, quod non procul à montibus Dacorum Carpathiis ortum, verſus meridiem pergit; donec infra Albam verſus Occidentem flexum ad Segedinum Tibiſco miſcetur: Unde & alius error nominati auctoris retegitur, dum Maruſium in Danubium illabi ſcripſit. Nec (a) deſunt, qui Marum Taciti de hoc Mariſo exponunt. quo nomine Cluverius Moravam, Moraviæ nomen dantem intelligit. Ex his quondam prout morum erant ſervilium, apud Atticos ſervorum nomina emerſere: eorum repræſentamen in Comœdiis (quoniam prout hæ res veras aut veriſimiles ſolent effingere,) Davus

(a) *Juſtus Lipſius & Iſaacus Caſaubonus.*

Davus & Geta: ut Scholiastes in Aristophanis Acarnanenses testatur. Probatur id vel unius fabellæ Apollodori Comici auctoritate; in qua Davus, & Geta reperiuntur: unde hæc Terentius hausit nomina. Mox eadem hominibus indoctis improprie applicita; Hinc illud Terentianum: *Davus sum non Oedipus*, non par ad obscuriora ænigmata interpretanda. Ipsum Danubium (quia mentio incidit) Eusthathius Dionysii interpres ex Strabone & Stephano refert quondam Mathoam appellatum: Verum cum Scythæ eum trajicientes magnis afficerentur cladibus, Danusium, mox Danubium intitulatum esse: Δάνον enim Macedonum lingua mortem significare Plutarchus testatur. Inter quem, & Istrum ita quoque Ptolemæus; & Plinius: distinxere, ut superior pars ab Axiopoli qua Pannones & Jazyges tenent, usque ad fontes, Danubii nomen gerat; qua versus Pontum vergit Ister habeatur; quod tamen vix hodie ac ne vix quidem observamus. Fuere præterea qui eum à Riphæis montibus labi, aut ejus unum brachium in Adriaticum pelagus exire fabularentur. Quæ autem peculiariter Dacia post modum est dicta comprehendit hodie, Transylvaniam, Moldaviam, & Valachiam Transalpinam: inter Sarmatiam Europæam, Danubium, Tyramque flumina; & Jazyges Metanastas. Moldavia ad Euxinum mare se

porrigit,

porrigit, Valachia Transalpina propter Danubii ripas extenditur; Transylvania inter nominata Regna, Russiam Albam, & Hùngariam continetur. Dacis inter Carpathios montes & Istrum contermini fuerunt Jazyges; his Pannonii: qui duobus saltibus, ac tribus fluviis Savo, Dravo, & Istro vallantur. Dicti sunt Græcis Pæones quâ ratione vix constat: cum Pæoniam in Macedonia esse tam ex Livio Justino, quam Ptolemæo constet. Quæ ita dicta est à Pæone Antari, (a) aliis Endymionis filio, ut hinc quoque scias ex parte fabulam narrari; qui à Fratre Epeo victus secessione facta, provinciam Pæoniam in Emathia condidit. Hos Lazius nullo auctore præ victoria Æmilii Pauli ad Istrum secessisse scribit; tam facile rejiciendum, quam dicitur. Repugnat Dion Cassius Pannoniæ Alexandri Severi tempore Præses, qui Grecis in hoc nomine errorem impingit: & Pannones à Pæonibus distinguit. Derivat ipse nomen id à pannis; ex quibus tunicas manuleatas sibi consuunt; verba apponere placuit: ὀνομάζονται δὲ οὕτως ὅτι τοὺς χιτῶνας τοὺς χειριδωτοὺς ἐξ ἱματίων τινῶν ἐς πάννους ἐπιχωρίως πως καὶ κατατέμνοντες καὶ προσαγορεύοντες συῤῥάπτουσιν: ubi patrium morem intelligit de vestibus ex variis pannis consutis, quales apud raros veterum usurpatæ fuerunt quæque nationi nomen dedissent; plane prout

(a) Appian. Plut.

prout Græcia ab habitu palliata, Roma togata, Gallia Togata & Braccata nominatæ ſunt. Id tamen non video; quomodo ſummus Vir Iſacus Caſaubonus ex verbis Dionis pannum indigenam vocem fuiſſe Pannoniis probet, id quod late exequitur; cum vocem ἐπιχωρίως ad morem gerendi patrio more pannum, non quod pannus vox ſit indigena referri cuilibet pervium ſit: nec vocabulum pannus tam novum eſt quin Polybio Græciſque fuerit notum. Hæc quia conjiciuntur: mihi videtur quod ex voce πανώνια, aut πανόνια, exigua mutatione παιώνια Græcis id temporis notiſſima emerſerit. Pannonia ſuperior eſt & inferior: Illa inter hanc, Illyrium, Noricum & Germaniam; Auſtriæ & Styriæ nomine nota eſt; hæc inter illam Beſſos, Myſiam, ſuperiorem, & Jazyges; Sclavoniæ Hungariæque nomen tenet.

CAPUT VI.

Nomen Hunnorum quam late extendatur, eorumque diſtinctio.

QUicquid antiqui barbarorum Scythas vocaverunt, maximam partem media ætas Hunnorum nomine affecit: vidimus enim ſupra Parthos eandem cum Scythis nationem eſſe: quam inter Hunnos Conſtantinus Manaſſes

Manasses numerat. (a) Narrat is, quod Sesostris Rex Ægypti; (qui ultra Alexandri aras ad Oceanum usque victricia arma circumtulit, currumque quatuor Regibus antequam fragilem mundum edoctus esset trahendum jussit) Unnis qui sibi adjumento toto itinere fuerunt, Assyriorum Regnum dono dedit: ac pro Unnis sive Scythis Parthos appellavit. Ammianus Alanos, Neuros, Vidinos, Nicephorus Callixti Avares, Sabiros, Agathias Menander Protector Ongoros Hunnicam esse gentem scribunt: omnes apud veteres Scytharum nomine notissimos. Loca & stationes horum paucis complectitur (b) Procopius Bellisarii consiliarius: is Caucasi radices inquit ad fauces binas ducere: per quas Hunnicæ gentes, ita dictæ omnes quæ ultra habitant, in Romanum Persicumque imperium se infundunt. Earum alteræ Tzur vocantur, alteræ sunt portæ Caspiæ: à Caucaso ad portas Caspias, superiora Alani & Sabiri tenent. Post lunati sinus cornu alterum, & Apsilios Abasgi. Inter Alanos Abasgos que medii sunt Bruchi, quorum latus tenent Lazi: reliqua pars ultra Caspiam paludem Abtelanis cedit: Borealia Turci Nomades que occuparunt. (c) Longe tamen clarius alibi idem Procopius distinguit Hunnos in Albos, & Nigros:

(a) Albi

(a) *in Compendio Chronico.* (b) *Libr. 4. Hist. Gott.* (c) *Libr. 1. Rr. Per.*

(*a*) Albi à colore albo sic dicti, vocantur Euthalitæ, uti est apud Photium, Ephtalitæ, ut in editis Procopii scriptis: at Nephtalitæ in fragmento Procopiano Andreæ Scotti: quo pacto appellantur apud Nicephorum Callixti, Cedrenum, Curopalatem & alios: non à tribu Nephtalim, ut pessime summus Vir David Hoeschelius imaginatus est; sed corrupte propter notitiam apud Christianos nominis Nephtalitarum, & vocum affinitatem. Ita nec Tataris per hoc originem ex Judæis asserentibus, nec aliis consanguinitatem tuentibus quicquam hic subsidii: maxime quod Euthalitæ Theophani Byzantino, & Theophilacto Simocatto dicantur à Rege Euthalano sive Atalano; (unde Persæ hos teste Texeyra (*b*) & Emirkondo Ab delanos appellant;) qui Perozem Regem Persarum dolo vicit. Hic Perozes enim alterum Vararanæ filium excipiens, finium causa in Euthalitas movit; sed ab Euthalita quodam Zopyriano dolo ad iniqua perductus loca, ægre salutem pactus rediit; & viginti annorum decursu Hunnis Persæ tributa perpenderunt. Hic Euthalanus Eutychio Patriarchæ Alexandrino vocatur Achsanvar, & fuisse Dominus Hayatelæ: quam regionem Ismael Abulfeda congrue Byzantinis scriptoribus confundit cum Maralnahara, seu regno quod est ultra flumen; quo pacto Orientalibus

(*a*) *Cod.* 63. (*b*) *Jr. Pheruz.*

bus appellatur, quicquid ultra Oxum ad Jaxartem extenditur: unde colligere eſt Euthalitas inter Oxum & Jaxartem flumina ſedes habuiſſe.

CAPUT VII.

Origo Hungarorum in ſpecie.

HÆc eſt natio à qua Hungarorum primordia Bonfinius hariolatus eſt; quamvis ipſe ratione nulla opinionis propriæ fultus: abuſus potiſſimum voce Hunnorum: quam Hungaris alibi ſolis tribuit, mox ſibi contradicturus. Nos autem qui tantæ gentis originem tradimus firmiſſima quidem adduci poſſe quia auctorum fides deficit, non jactamus: quod mirum videri minime debet: cum & vetuſtiſſima inaudita ſint; & Romani poſt imperii lapſum ſuis operam dabant, alienorum quia pudor, ſtabant incurioſi. Quantum autem conjectura aſſequimur, rem in eo ponimus: quod Beatus Hieronymus ab extrema Mœotide, ex Maſſagetarum populis Hunnorum examina erupiſſe ſcribit quos Maſſagetas loco ſupra repetito ſedes habuiſſe proximos Dahis conſtanti ſententia veteribus (a) probatur: Deinde Abtela, & Atila nomina ſunt affinia: quorum priori Euthalitarum imperium, poſteriori nomen Regis Hungari indigitatur.

(a) *Plin. Mela Ptol.*

gitatur. Nec Abtela Urbs Turqueſtanæ proxima, alia eſſe poteſt ab Atila urbe: quæ Jaxarti propinqua temporibus Juſtiniani Imperatoris ſuperfuit. Non tamen ita ſuperſtitioſi ſumus ut exercitus Atilæ ex Hungaris modo conſtitiſſe dicamus; quippe qui univerſum Septentrionem, &,Orientis partem torrentis inſtar ſecum rapuit: contenti ejus initium ex Hungaris repetiviſſe. Menander enim Protector cui his in rebus multum fidimus, ſæpe inculcat Zemarchum ad Turcos legatum à Juſtiniano miſſum in regione Atila fuiſſe inter oxum & Jaxartem; quo tempore Ungarorum Dux nomine Dyſabuli Turcorum Regis Regno præfuiſſet. Cur autem nomine Turcico Regnum id Juſtiniano rerum potiente adminiſtratum eſt; ex Theophane Byzantino, & Theophilacto Simocatto videre eſt: Paſſim enim apud hos legitur Ephtalitas à Turcis ſuperatos eſſe, unde magna regionis pars Turqueſtana dicta. Quod tempore Juſtiniani factum eſſe non Mauritii à Phoca interfecti ut aliorum opinio fuit ex jam dictis colligitur; quamvis & aperte legati Turcorum apud Juſtinianum (a) hac ſuper victoria glorientur. Accedit, quod ex his terris egreſſum Atilam apud Ammianum, Paulum Diaconum, & Jornandem reperitur. Quod reliquum Photius ex Procopio affirmat, quod hi Eutalitæ Margaritæ,

Margari,

(a) *Menander prot.*

Margari, & Margaridæ verbo eoſdem notante dicantur: invenitur enim hic Margarus apud Praxagoram Jonicum ſcriptorem: quæ vox ſi in hiſtoria opinari licet eadem prorſus cum Magyaro: quo pacto Hungari vernacula lingua appellantur. Nec Eutalitam vocatum eſſe Atilam doctis Viris impoſuerim: nationem ſolum eandem de utraque probaverim. Eutalanum quippe qui Peroze Rege Perſarum devicto Hunnos albos ut alibi ex Theophane refertur Ephtalitas à ſe nominavit, Belamber primus Hunnorum Rex externæ invaſor terræ multis annis anteivit; Hic Perozes enim anno ducenteſimo trigeſimo tertio ſupra milleſimum Sal Chodai Perſici rerum potitus eſt, quod tempus à Sal Chodai Chaldaico viginti annis ſuperatur, labente nimirum trigeſimo tertio undecimi Sari Perſici; qui congruit cum ſexageſimo ſupra quadringenteſimum Chriſti anno; ducentis & viginti quinque annis ante Izdigerdam à Calipha Babel Othmanno (a) filio Ophani juxta alios (b) filio Omar exutum: annum porro ſupra memoratum pluſquam ſeculo Belamber præceſſit. Vixerunt Hunni de quibus verba facta, ante tempora Atilæ in regione amœna, ut jam monitum vicina Turqueſtanæ ſeu Turcorum per excellentiam dictæ regioni, ad Boream Perſis finitimi:

(a) *Ignatius Patr. Antiochenus.* (b) *Abraham Zacchut.*

finitimi: viri probitate, morumque rectitudine si quæ Simocatto, & Theophani fides: donec à Chacano, (quem Turcorum magnum interpretamur Dominum) Justiniani ævo devicti, partim in gentem unam coalescentes, partim in Septentrionales pulsi partes ferioribus imbuti sunt animis; ex quibus porro secundam meditati profectionem alibi nobis memorandam. Hac in regione plurima Avares gessere bella cum Turcis, antequam ipsi quoque potentiæ impares in Pannonias iter suscepissent. Occidentales Hunni sunt ii quos Nomades antiquitas vocavit; hodie Tatarorum nomine notiores, incertis sedibus vagantes: (a) qui à Massagetis bello vexati transmisso Araxe in Cimmeriam pone Mæotim paludem; ubi & hodie Cimmerica Chersonesus abierunt; à quibus Cimmerii ubi sunt pulsi in partes Occidentales, Regnum Daniæ nomine notum effugere: Quod maxime Straboni convenit, ex Cimmeriis corruptam esse vocē Cimbrorum affirmanti. Hinc Nomades ultra Araxem Massagetis proximos videre est. Quod licet sic se habeat, quia suis non caret nebulis; tamen fluminis incertitudinem auget varietas auctorum; aliqui eum ex Caucaso qui Tauro committitur oriri volunt; (b) Herodotus ex montibus Matianis, Aristoteles ex paropaniso monte Tauri altissimo; Dionysius A-

fer

(a) *Herodotus.* (b) *Curtius.*

fer eum Maſſagetarum ponit terminum Appianus Plutarchus à Cyro exceptum in mare Caſpium labi non dubitanter affirmant.

CAPUT VIII.

Balamber migrat in Europam: excedenti Mundzuch in Hunnorum regno ſuccedit, nec ipſe diu ſuperſtes.

PRima Hunnorum in Europam expeditio Valente Imperante & Damaſo Pontifice (*a*) Anno ſalutis ſeptuageſimo ſupra trecenteſimum perhibetur. Conſtans fama prodidit Bandetem apud Hunnos primæ poſt regem nobilitatis virum cervum in Mæotin paludem ſe projicientem venandi ſtudio perſequi non prius deſtitiſſe quam in oppoſitum littus pertingeret: (*b*) (id quod Procopius de Uturguris genti Hunnorum Cutriguris qui & Gotthi contradiſtincta fuſe tradit) cujus reverſi terrarum que ultra Mæotin viſarum amœnitatem celebrantis ductum ſequi, audireque imperium invaſor novæ terrę populus voluit. Impoſita Belambro Regi neceſſitate terras fertiles adeundi, Tanaim non mediocri ſuorum parte abſorpta Hunni tranſmittunt: Tauricam Cherſoneſum; quæ Gotthorum ſubjacebat imperio adire occupant. Contra quos præterea in-

(*a*) *Sigebertus.* (*b*) *libr.* 4. *Gotth.*

ter se dissentientes, utpote longa pace quantum hebetes ad sustinendum bellum tanto ad discordias promtiores, fœliciter certant: mox pervasis Alanorum regionibus, quos Geruntbungis confines Tanaitas id ævum nominavit, multis interfectis superstites pacta fide societati junxerunt. Versus furor in ponti accolas; quos beneficio quam armis in potestatem redactos, Daciam & Mysiam aggressuro ut adessent, coegit; Sed præter spem accidit ut Daci, & Mysi alias molles nunc continuo bello indurati se defenderent, nec à se in ordinē redactū Belamber hunc populum videret: continuo enim certamine fatigatus & senio confectus expiravit. Accepit imperium Mundzuch, qui & Bendeguz: (a) is Emenricum Gotthum ad mortem egit. Vinitarium Emenrici fratruelem adortus, cum Alani non satis fidi sanguine quippe & cædibus subacti contrariam partem maxime sustentarent, duobus præliis inferior, tertio victor extitit. Tunc illa Hunnorum terriculamenta Alatheus & Saphrax Viderici Gothi curatores cæsi. Inter Borysthenem & Istrum spacia ampla occupata; quin ipse Athanaricus Therovingorum Rex ob auxilia Procopio missa cum Valente inimicitias fovens ad Danubium usque & Taifalorum terras pulsus est. Hic Mundzuchus vir fortissimus Prisco

(a) *Priscus Rhetor.*

Prisco Rhetori, & Rova, appellatur, Reva potius dicendus; is dum legatis res Amaldsurorum, Tancassiorum reliquorum que Istrum accolentium cum Romanis componere satagit excessisse creditur.

CAPUT IX.

Atila & Bleda Fratres Pannonias occuparunt: Bellum eorum cum Martiano Tauris: & Bledæ mors.

EIus filii Atila & Bleda non dum pares imperio, (a) fratres Mundzuchi Hottarem & Rugilam curatores accepere; quo tempore vergente Roma exitio suo variis imperiis initia nascendi dedit: quorum spaciosissimum fuit ab Hunnorum Principibus postquam in suam venissent curam occupatum. Hi enim sanguineo ense per castra circumducto, (u) primo impetu totum Orienrem innumeris incendii instar obvolverunt cladibus; Visigotthos Thraces libidinem dominandi causam belli habentes festinanter domuerunt; Macedones, tractum que ad mare Ægæum cruentarunt; donec Imperator pace cum Vandalis, & Persis inita eos in Pannoniam migrare compulit. At illi fingentes quasi monitu Dei ad delendum nomen Romanum vocarentur animos rece-

(a) Jornandes, (b) Callimachus,

pere: nec diu fama dubitavit, cum bos agrestis altero pede ſancius conjecturam gladii à Marte illic locorum in uſum *Principis* repoſiti indidit. Sic augurio victor res arduas molitùr: cujus vel rumore Romani, territi legatorum Phainitæ & Epigenis cura ſeptingentis in præſenti auri libris trecentis annuis pacem mercati ſunt; ita fortiſſimus quondam populus tributa ſolvit, quæ jubere conſueverat. Igitur fulmen illud, atque deſtinatam excidio tempeſtatem, quaſi quodam torrente adverſus Tauros Atila & Bleda effudere: quorum nec primum impetum *Z*oroſgi, nec ſecundum populi ad Damaſtum pertinentes; nec tertium Achacziri ſuſtinuerunt; (*a*) quorum rex Caridachus Oneſegio Duci Atilæ regionem per manus tradidit. Quamvis autem Chryſapheus Theodoſii Eunuchus mox *Pulcheriæ* nutu interimendus, apud Edeconem primarium Atilæ Virum quia bonæ artes defuerunt dolis atque fallaciis occidendum Regem contendit, nihil egit. (*b*) Rex enim & extendere ad Thermopolim uſque dominium fœliciter ſuſcepit, & Arnegiſchum Magiſtrum militiæ in ripenſi Dacia juxta Utum confecit: ad ultimum ſive caſu ſeu juſſu præcedente, poſtquam Bleda non ſine ſceleris infamia quaſi cujus virtus Atilæ formidoloſa fuiſſet ſublatus eſt, ſolus apud Hunnos potitus eſt rerum.

CAPUT

(*a*) *Priſcus Rhetor.* (*b*) *Marcellinus Comes.*

CAPUT X.

Atilæ pugna cum Ætio in Catalaunicis campis.

NEqne ſuis tantum viribus Atila confiſus, conſiliis & aſtu Valentinianum aggreſſus eſt: (*a*) Edeconem cum Oreſte Honoriæ impetrandæ ſpecie ad Imperatorem ablegat, re ipſa ut jus ad Imperium Romanum prætenderet; addebat animum virgo ab Eugenio *P*rocuratore ſtuprata, palatio que expulſa Atilam contra Occidentem concitando pertinax. Quin & ſimulavit à ſe non Romanos, ſed Gotthos veterem hoſtem peti, diſſentientes minori opera oppreſſurus: *S*enſit fraudem Imperator, & omnibus ad hanc militiam evocatis ſpeciem Validi exercitus fecit. Quare neglectis cuniculis vera via nitendum; tributum haud fideliter perſolvi cauſatus Rex Hunnus, ratus eſt: domitiis Suevis Quadis, Turcilingis ſubjecto Ardarico Gepidarum, Valamiro Oſtrogotthorum Regibus Danubium tranſmittit; (*b*) in armis habuiſſe fertur quingenta millia virorum, alii ſeptingenta ſcribunt; (*c*) per mediam iter faciens Germaniam in Rhenum ſe convenit; Argentorato exciſo, mox

(*a*) *Paulus Diaconus Callimachus* (*b*) *Jornandes.* (*c*) *Paulus Diaconus.*

juſſu ejus inſtaurando Straſburg nomen indidit, obvia terrarum cuncta prædæ habuit. Contra hunc Valentinianus duce Ætio Viro fortiſſimo Armoricanos, Saxones, Ripariolos, Bictrones, Lambriones Francorum Regem Merovæum, Alanorum Sangibanum metuentes ne vicinum belli incendium ad ſe tranſiret facile incitavit. Nuncio hoſtis ad Atilam perlato omiſſa Aureliano rum oppugnatione, ſecundum flumen Matronam in campis Catalauni, loco qui Mauriacus dicebatur conſedit; atrox ibi prælium exoritur; cęſis ſupra centum ſeptuaginta hominum millibus; donec Atila ingraveſcere pugnam animadvertens loco ceſſit. Theodoricus Gotthus jn prælio diſcurrens vitam concluſit; Thoriſmundus filius conſiliis Ætii ſeu fato Principis denuo emerſuri Hunnum perſequi noluit, Quo tempore haud dubie ultimum illum diem Atila habiturus erat, ſi rex Gotthus ut vincere ſcivit, victoriam perſequi ſciviſſet nec triumpho quo uti poterat, frui maluiſſet. Unde factum ut Rex Hunnus ſecuritatem animadvertens, cum exercitu reſiduo Tungris Thecis que everſis in Pannoniam ſalvus rediret.

CA-

CAPUT XI.

tilæ expeditio in Italiam, & mors. Quid de ejus titulo sentiendum sit: Hungari præterea cum his Hunnis iidem.

PUdebat fortem Virum adversæ fortunæ, & gloriose mori, quam turpiter vivere æquius ducebat: adjectis ad veteres novis copiis, (a) & viribus quinquennii quiete validior per Noricos Engadinos in Italiam tetendit. Hic Valentinjanus angustias obsederat · quas quia perrumpere amnis cursum erat cogere, in agrum Illyricum se convertit; Dalmatiam Tragurium pessime habuit, Sibnicum, Polam, Parentum expugnavit: superatis ad Sinum Tergestinum Romanis Aquilejam triennii obsidione fœlicius quam consultius fatigatam evertit; Tarvisium Veronam qua venis Ravennam depopulatus est; Romam ultro periturus à Leone Pontifice inter Mincium, & Padnm exoratus est: Non defuerunt qui lenitum præ ensifero quodam Leoni assistente & minitabundo fuisse affirmant isque rumor quoquo modo inductus religione defenditur; illud maxime mirum cum Romæ delendæ iter fecerit, homo inconditus spoliisque gaudens ut se

 vicit.

(a) *Bont. Olahus*

vicit. Hac expeditione Veneti relicta continenti in insulas se conferunt, futuræque Reipublicæ, quam terra marique florentissimam sequentia dedere secula fundamenta locant. Lithuani hodiernas sedes fugitivi occupant; nec Germania Galliaque vestigia Hunnorum obliteravit, (a) castra Hunnorum nomine insignita retinens; ut ad Rhenum Hundszruch, & in Velavia Geldriæ tetrarchia ad lacum vulgo Utlermeer castri Hunnenschancz dicti rudera supersunt. Reversus in Pannoniam Atila nuptias cum Hildico contraxit, ad thorum dum vino madet, intercluso sanguine è naribus erumpere solito, feralique itinere in fauces illapso stertens quamvis nec muliebris perfidia suspicione caruit suffocatus est. Ita sævire in Barbarum fortuna cœpit; quique labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverat; ei otium divitiæ, & gloria pace undique munita optandæ alias, postquam incondita hostium agmina superantem vitia vicerunt, oneri & excidio fuerunt. De titulo ejus: Nembrothi nepos, nutritus in Engaddi, Dei gratia Rex Hunnorum & Medorum Gotthorum, Dacorum, metus orbis, & post colloquium Eremitæ flagellum Dei, merito dubitatur: Quod si ex Japethi posteris sit Atila, quod Hungarici scriptores sustinent, Atilam esse filium Nembrothi filii Chami non

(a) *Pontanus.*

n consistet; deinde notitia Nembrothi
de est ei? neque unquam Atila quantum
tur Medis imperavit. Præterea Princeps
ide alienus se dixisset esse Regem Deo-
m, Herculis aut Martis gratia, quam Dei:
gaddi nisi in Judæâ prope mare mortuum
llibi est, nisi aliquando apud Rhætos
gaddinos extitisset. Nec illi audiendi,
i inter hos distinguunt Hunnos, & Hun-
ros, quanquam varias nationes in exercitu
isse non ignoretur: Siculi enim ex reliquiis
ilanorum in Dacia residentes, Hungarica
amvis corrupta utuntur lingua, alius om-
s ignari. Præterea Eginardus Caroli M.
ner, & Cancellarius, quo tempore juxta
e digniores Hungari nec dum secundum
pediverunt, hos Hunnos, Ungros, U-
os, & Magores appellat, Ammianus
arcellinus Ungorios, Agathias Onogo-
s. Quod reliquum testatur jam laudatus
Ammianus: quod Hunni templis, aut de-
oris careant, sed gladium Barbarico ritu
r castra gestatum, ut Martem venerantur,
mque regionum quas circumeunt *Præsu-*
n sequuntur: (*a*) quod Verböczius de
ungaris *Pannoniæ* incolis luculentur in-
rpretatur.

) *In Decretis Hungariæ.*

CAPUT XII.

Atilæ filii dum cuncti imperare student, singuli imperium perdunt.

INcredibile est, quantum exiguo tempore Hunnorum potentia creverat, & jam propria magnitudine laborabat; cum inde extremi hominum in Scythia Hunni, & Jugri; hinc Gallia, & Italia fines essent. Quæ vasta dominationis moles major erat, quam ut ullis externis viribus posset extingui; itaque illa ipsa in exitium sui armata est. Extincto Atila superstites erant filii Chaba, (a) & Aladaricus: quorum illum multi ex Honoria susceptum volunt: quod plerisque non arridet, (b) qui Atilam priusquam ea perduci potuisset, periisse scribunt. Iidem filii immutato nomine intelliguntur Bengischus, (c) & Irnachus: qui ita de Principatu certabant quasi duos fortuna imperii non caperet. Aladario Principes Germani, & Diethricus Veronensis favebant: contra Hunni Regem crearunt Chabam, quorum pars mirâ inconstantiâ quod in civili bello contingere solet defectione tentata Aladario se junxit; hique in propria sævientes viscera, se invicem confectis simul imperium perdunt.

(a) *Bonfin. Ritius.* (b) *Callimach, Olobus.*
(c) *apud Priscum Rhetorem.*

rdunr. Primus viam monstravit gentibus
rdaricus Gepidarum Rex ab Atilæ filio-
m servitute se in libertatem vindicandi:
i Hunnorum triginta millia uno prælio
nfecit; nec porro dum Hungari fugiunt
nctando tempus terit; sed territis instat,
his repulsis singuli subditorum jugum
cuterent. Aladarius ipse qui & Elach
ienta morte obiens, tot cadaverum ma-
ous litavit: nihil enim diururnum est cui
n subest ratio; Ardaricus Daciam susce-
, Gotthi Pannonias, Alani Mysiam Cha-
filiorum Atilæ Regis alter Scythiam
etivit. (a) Uto, & Ischalmus multis
nnorum ad se pertractis in Romaniam
ressere; quorum reliquiæ ad oppidum
acz nostro tempore supersunt. Emned-
, & Uzindur consanguinei Ducum jam
ninatorum inter Marusium, & Alutham
n qua ad montana Daciæ itur consedere:
ne suspecti Hunnorum nomine essent
kelyos se appellaverunt: quod vocabu-
fixum locum, fixamque sedem non
fugos aut reliquias (quod aliis factita-
) interpretamur; (b) Sunt enim à tribus
bus quas incolunt id nomen sortiti.

Fernandes (l) Bonf. Olahus.

CAPUT XIII

Secunda Hunnorum migratio Avarum nomine notorum: vana eorum bella & excidium.

QUieta ab Atilæ posteris Romana terra, quasi in ejus excidium conspirasset mundus, Rugorum Gotthorum, Longobardorumque viribus detrita est. Primus Imperium in Occidente pulso Momyllo Augustulo ominoso vel ipso nomine abrogavit(*a*) Turcilingorum Herulorum ac Rugorum Rex Odoacer; mox & ipse Zenonis consiliis à Theodorico Ostrogottho, & Regno privandus & ad extremum occidendus. Italiam Gotthorum servitute pressam Justinianus cædem Amalasuentæ ulciscens, quæ dudum adhuc captiva clientelæ se ejus commiserat ad suum corpus reduxit: Bellisarius prima fronte expeditus, quamvis sæpissimè uictor, quia varie ut requirebant bella laceratus est; Gotthos imperio Narses privavit, Cui suorum injuria petito, Justinus Junior Longinum qui Dux sit Italiæ subrogavit. Narses Sophiæ Augustæ verbis de penso inter uirgines partiendo irritatus, telam exorsus est nec sibi nec viro retexendam: Longobardos qui Rege Daniæ Svione innu-

meram

(*a*) *Fragr. Sigeb. Paulus Diaconus.*

meram juventutem ex Scandinavia Cunimundo Gepida devicto in Pannoniam traxerant: quasi ex hac unicâ Romanis immineret excidium opimo pellectos Regno evocavit; In quem temporum tractum, Hunnorum migratio secunda confertur. Hi enim Avares dicti à supra memoratis diversi seculo quinto Virginei partus Hongoris Eitasalis, (a) & Sabiris eversis in Europam eruperunt. Bajanus eorum Chacanus quod verbum Magnum Ducem alibi interpretati sumus Daciam, (b) & Pannoniæ partem suo subjecit imperio. Turci enim in Asia postquam Euthalitas devicerunt, parsque horum jugo insueta versus Boream pulsa esset Avaribus imminebant: hi cum nec tributa solverent libertati addicti, nec potentiæ sufficerent; patria excedentes Imperatorem aggressi sunt. Ratio in hoc stetit: (c) quod Justinianus per Zemarchum memoratum supra, Avares mordens fœdus cum Turcis pepigit: Caucasum transgressi, Gotthis ex Taurica ejectis ripas Istri occuparunt, & Gepidarum nomen extinxerunt. Alboinus Dux Longobardorum quorum familiæ Auctore Narsete in Italiam migrarunt, his Pannoniam fœdere inito tradidit; ut si minus fœliciter consulta caderent, veteres reciperet sedes. Et quia Alboinum spes

(a) *Menander Protector.* (b) *Johannes Cantacuzenus.* (c) *Corippus Grammaticus.*

non decollavit: qui Cisalpinam Galliam Longobardiam appellavit. Ducatus præterea Forojulianum, Spoletanum, & Beneventanum in Italia constituit; (a) Hunnis Avaribus Pannonia cessit. Contra hos Tiberius à Justino mox in imperio successor ablegatus, pene captus evasit: à quo jam Imperatore Bajanus pace composita fabros balneæ construendæ petivit; sed missos in Danubio pontem facere coegit, leviori opera Romanos lacessiturus. Subacto Syrmio gens natura ferox, moribus incondita, adeo terribilis fuit, ut scelerum Orientis ultrix crederetur. Mauritius auri pondo millibus octuaginta pacem ab his mercatus quietem sibi pactus est: nec ultra biennium tenax promissi Barbarus; qui ut tributo superadderetur cum non impetrasset Singidunum Viminacum cepit. Commentiolus & Elpidius conquesti de rupta fide tributo aucto Avarem priori nempe flagitio patrato alia non abnuentem æque inconstantem experti: Sclavinorum ope ad longum usque murum progressus: ubi quia & ipse cæsus, & furenti captiva multitudo extorta est, perfidiæ pœnas dedit. Strategemate porro, Mauritii Thracia depulsus à Prætore Prisco Singidunum repetente irritatus est; unde factum ut ille quadraginta Dalmatiæ civitates depopularetur,

(a) *Nicephorus. Cedrenus. Theophil. Simocattus. Sigeb. ad annum* 568.

retur, ac Diriziperam Thraciæ occuparet. Acceſſit majus Mauritii facinus adverſâ laudabilioris fortuna quam proſpera; qui legionis propriæ ſibi gravis duodecim millia à Chacano capi permiſit. Singulos hoſtis numiſmate dimidio dimiſſurus erat: ſed cum ſurdas Mauritii aures ſeu odio, ſive avaritia tot militum jacturam ſpernentis pulſaret; ſinguli occidione occiſi. Sceleris ab Imperatore pœnas Phocas Tyrannus ſumſit, poſt modum & ipſe æreo camino exurendus. Variâ dehinc fortunâ Avaribus Regnum ſtetit; qui Longobardos nuper fautores ſæpe magnis ſtraverunt cladibus, ad extremum poſtquam cum Bojoariis coaluiſſent, Carolo Magno imperanti Bavarorum nomen ſatis Bojis inviſum emerſit. (a) Horum Rex fuit Tudun cum quo tot bella Carolus M, ejuſque filius geſſere, non cnm ipſis Hungaris quod plerique ſuſtinuerunt. Quo tempore prout nihil rerum humanarum vi partum ſtabile, partim in aliorum tranſiverunt nomen partim deleti ſunt. Nicephorus ſequentes Hunnos qui & Hungari omnem eam potentiam diſflaſſe; Rerum Germanicarum ſcriptores Carolum M.; Suidas Bulgaros ſcribunt: unde colligitur inter omnes laqueos Avares hæſiſſe.

C A-

(a) *Annales Francorum Fuldenſes.*

CAPUT XIV.

Migratio ſecunda Hungarorum, eorumque origo.

HUngaros Pannonios variis ab hoſtibus ita preſſos, ut vix eorum veſtigia ſupereſſent; pudebat, ceu nobilem populum ablata libertate alienigenam pati Dominum, qui ipſi imperare conſueverat. Deerant vires quibus jugum excuteretur. Igitur victor quondam gentium populus fratres & conſanguineos ab ultimâ Scythiâ ſoli fertilitate victos, & promiſſis oneratos evocat. (*a*) Non deſunt qui hanc profectionem repetant ab anno quadrageſimo quarto ſeptimi ſeculi Conſtantino Imperatore, & Zachariâ Pontifice: alii referunt ad annum octuageſimum octavum ſupra octingenteſimum, qui incidit in Arnulphum. Quo pacto adverſus Hungaros nulla Carolus M. geſſit bella; quæ & opinio verior: Avares enim ii fuerunt, quos Pipinus debellavit; maxime quod inter Carolum & Arnulphum altum de Hungaris habetur ſilentium poſtmodum erupturis. (*b*) Hunni qui poſtea hungari quaſi Hunnari dicti ab ultimis Borealis terræ oris, & ſupra Tanaim Volgam que cin-

gente

(*a*) *Sigebertus Bonfinius.* (*b*) *Abbas Selſtadienſis.*

nte omnia Oceano, cum terræ ſterilitate
gerentur: novas ſedes toto orbe quære-
nt, & fratribus quorum nutu atque au-
ciis exceſſerant patria, expeditionis du-
us Pannoniam invaſerunt. Ea terra
iquis Hyperboreæ nomine notior fuit,
vixere juſtiſſimi mortalium: (a) Unde
erborei gens ſacra appellantur propter
tum Apollinis, & templum quod illic
itiſſet. Ab his profectus Alaris: (b) is ex-
it ſimulachrum ex oſſibus Pelopis, quo
idis impoſuit Græcis antiquiſſimus alias,
m interpres equinorum Ariſtophanis
a Trojana tempora repetit, Hoc ſolum
lere noſtro tempore Iuguros unam
Hungaris nationem Sigiſmundus Baro
erbeſteyn Alexander Gaguinus, alijque
ati ferme teſtes perhibent: Sunt enim
i in Regione Permiâ Pezerris, Peman-
ue conterminâ: gens hodie Moſchovitis
ecta. Ipſa Iuhria aliis Juhuria prout
ua mutatione facta varie ſcribitur attin-
ttora Oceani Septentrionalis, qua ma-
inter Voychagdam fluvium, & Obi-
Jacet enim inter Condorium, Samoje-
, Sibiriam, Paroſitarum que regionem.
entiæ ergo, (quamvis non libenter fa-
s præſentis propoſiti gnari.) placuit
ovii cui in his multum tribuimus verba
apponere

indarus. (*b*) *Jul. Firmicus libro de Errore elig.*

apponere; sic autem ille: *Ihuri* (quorum inferius eandem dicit loquelam, (a) & pronunciationem esse cum Hungaris) *de Iuhra Sclytiæ Septentrionalissimâ, & frigidissimâ juxta Oceanum septententrionis à Moschua* primariâ *Ruthenorum civitate ad Orientem, & septentrionem quingentis milliarilus magnis Germanicis distante ascenderunt; & venerunt in regionem Gotthorum, ubi nunc Tatari Zabadenses, & Zavolhenses degunt*; Tauricam nempe Chersonesum: *pulsis tandem populis in Pannoniá consederunt.* Inguros autem vocat hungaros ad morem Sclavorum & ipse Polonus: quod corruptum est ex Magyaro: unde notum illud Chroatarum, Jugarszka Katona, Hungarus miles. Ipsa ratio ad rem quadrat: certum enimest caussam migrationis Hungarorum fuisse sterilitatem soli, & vitam miseriis varie pressam. Quam idem Mathias à Michov altius repetit: *Iuhri in Scythia non colunt agros non habent panem & vinum, aut cerevisiam: degunt miserrime in sylvis, & foveis subterratis, & carnibus ferarum vescentes aquam bibunt, pellibus induuntur. Magno Moschovitarum Duci pellibus Sabellinorum & Schilonorum tributa vendunt.* Magnam Septentrionis partem ab Hungaris inhabitari de quibus in genere antiqui; (b) hunni glacialem Oceanum

(a) *Tractatu de Sarmatia Asiatica.* (b) *Marcellinus*;

inum accolunt: præterquam quod ex
gine hominum inde egressorum colli-
est, cum Barbaris in more sit positum
m ædes extruere: Guilielmus Rubru-
, & Planocarpus; qui ad Tataros lega-
: functi has terras attigerunt in Itinera-
Tatariæ luculentur docent. Extendunt
ad transvolgianam Regionem, in spa-
plusquam quadringentorum millium:
que sub nomine Paschatirarum Bulgaris
icis vicinos faciunt. Quorum ille:
cto itinere duodecim dierum à flumine
à. quod & Volga *incidimus in magnum*
n aliud Jagag dictum; quod ex septentri-
& ex terra Paschatir descendit: lingua
antium in Paschatir, & Hungarorum est
n: versus Occidentem confinem habent Bul-
m majorem. Paulo post: *Paschatir est*
rra ex qua Hunni postea Hungari dicti
si sunt. Quibus porro regionibus cincta
x eodem colligitur. Nam su Moal qui
quatici habitant versus Orientem, ver-
eptentrionem kerkis populus, & Oran-
iis ad Occidentem adjacet Paschatir,
& Hungaria Major: Recensitis ad Me-
m addendi Cumani, nostris Kuni dicti,
m cum Hunnis gens: Kun Chan enim
memorandus Unad Chan sive Hun-
m Imperator appellatur: Quibus affines
nadini, & Chanadini cujus nominis Co-
tus in Hungaria superest; Beszermanni
Cu-

Cumanorum utentes lingua, ob oppidum ita vocatum nono à Varad lapide nec ipsi Hungaris ignoti. Varie Moali qui & Tatari ex Planocarpo apud Vincentiũ Bellovacensem distinguuntur. (a) In Jeka Mongal ex quibus Zingis chan ortus: ſu Mongal, de quibus jam dictum, Merkas, & Merit Mongal: populus unius quidem olim linguæ, at provinciis distinctos. Quod porro Paſchatir Monachorum, & Juhuria Sarmatiæ ſcriptorum eadem ſit, Samojediæ propinquitas cum utriſque arguit: item quod Magna Hungaria Juhuria & Sibiria vocetur: quibus adde utramque inter Moalos & Orangii populos ſitam cenſeri: Quorum præterea auctoritate univerſum hos populos cum Obdoriis Zlota Babam ſive auream anum adorare conſtanter creditum. Hungaria autem & Bulgaria majores vocantur ad diſtinctionem Hungariæ Europææ & Bulgariæ ipſi proximæ.

(a) *In ſpeculo Hiſtorico.*

CAPUT XV.

Hungarorum, Turcorum, & Tatarorum affinitas.

QUia Hunnorum nomen ampliſſimum per has gentes fuit; (a) complexum eſt Turcas, & Tataros: & Hungari vernacule Magyari,

(a) *Eginart hus Aventinus.*

gyari, prout Germanicis ſcriptoribus Ugri, Jugri, & Magores quamvis corrupte appellantur; Byzantinis ſcriptoribus maxime quia his devictis in unum coaluerunt corpus Turci nominantur. Clare enim Theophylactus Simocattus ſcribit Hunnos à Perſis Turcos vocari: unde & titulus Regum apud Turcos Hunchar, niſi error ſit, ut Hunchan legi debeat; quod tamen perinde pro nobis facit. Et Cedrinus ſæpe repetit Τούρκων ἔθνος γένος μὲν ἐστὶν Οὐννικὸν πολυάνθρωπόν τε καὶ αὐτόνομον. Ne autem id ſcrupulum moveat; quod Hunni late pateant, nec per hoc Hungaros Turcos eſſe probetur, alibi ſe explicat. Pervenit inquit ad Moraven & Beligrada, quæ ſunt in Tranſiſtrianâ regione ſita, & Cralyi Turciæ vicina: ubi Craly rectius Kiraly Turciæ ſignificat Hungariæ Regem: *Morave* eſt flumen Raſciæ, *Beligrada* Taurunum alibi explicatum. Idem ſæpe dicit Unnos & Ungros dici Turcos: quod Nicephorus Callixti, Johannes Curopalates, & Nicetas repetunt. Quin & Ungaros in Pannonia Turcos Occidentales ſcribunt, ad diſtinctionem Orientalium, qui ſunt in vicinia Perſarum, quamvis hodie in Hungariam (quam & potiori tenent in parte) extenſi. Nec illud prætereundum Turcos apud Zonaram Iſtrum accolere, qui & Ugri; magnam linguæ affinitatem, utriuſque gnarus facile percipit. Tatari Mogoles & Mogores

appellari volunt, eodem cum Magyaro nomine: (a) Tatar enim fuit peculiaris inter eos natio, quæ ad prædandum egressa, quia populus eam videns exclamavit *Tatari veniunt* nomen universæ genti tribuit. Nec vocabula multum disconveniunt: Toxa Geysæ filius: Tuxy Zingis Chani: Bulezko, Bela, Batha Zambur voces Tataricę, Hungaris communes. (b) Habitus idem; utrique rasi sunt parte omni, ita tamen ut comæ ad aures dependeant. Tatari immanes, hostium carnibus vesci soliti: à quo Hungari Christianismi ignari non abhorruerunt.

(a) *Rubruquis.* (b) *Vincentius.*

CAPUT XVI.

Bellum cum Suatagpolugo, & Pannoniæ occupatio.

SEptem Ducibus & Regione jam explicatâ (a) Arnulpho Cæsare anno nonagesimo seculi octavi Hungari profecti: qui pro exercituum numero septem castra muniverunt unde id nomen in Transylvaniá hæret. Almo horum supremo in Dacia vitam claudenti successit Arpad; cujus collegæ Szobolchus, Gyula, Chundus, Lehel, Verbulchus, Ursus. Æquatâ potentiâ exercitus administrantes explorandi ergo Cusidum Chundi filium

(a) *Aventinus.*

filium ad Suatagpolugum latiſſime Daciæ Pannoniæque potientem ablegaverunt. In ſecunda profectione phalerato equo, terram herbam, & aquam permutandam impetravit: cumque non minus liberaliter quam benigne haberetur; Regionem poſſeſſoribus alias vacuam ſibi ſuisque fraudibus conſequutus eſt. Et cœptis fortuna non defuit quamvis ſceleratis: legatione enim tertium miſſâ, ex traditâ terræ, herbæ, & aquæ portione, regionem ſuo imperio adjectam doloſe aſſeruerunt. Ineſcatus Suathes exercitum cogit: ſed nec primo impetu par ad montem Noachinum ultra Danubium pellitur. Verſus Hungarorum furor in Illyrios, & Noricos; qui & ipſi ad reſiſtendum impotentes Regionem omnem prædæ permiſerunt. Diſtrahebatur interim Germania: Arnulphus qui Occidentem tenebat Suathem ſibi hoſtem, Regem Moraviæ jam Ripenſi Daciæ pulſum debellare cogitabat. Sedis ſuis diffiſus in ſeditionem propenſis amicitiam Hungarorum, qui id temporis per Orientalis Germaniæ, & Sarmatiæ oras vagabantur venatus eſt. Hungarorum Rex Cuſſales occaſioni intentus ſubita impreſſione ſacta Moravos, Bohemoſque vincit: Regionem contentus præda Imperatori tradit. Arnulphus veterem Regi Daciam conceſſit; at Hungari longe ulterius ſæviunt: utramque Daciam, Jazygum terram citra,

citra, & ultra Tibiſcum, quatenus, à Grano flumine:(*a*)Suevo monte,& Iſtro ad Pontum excurrit inundant,vaſtant; non niſi difficulter ut foedus feriant Cæſari perſuaſi. Contractum eſt ut Imperatoris ad exceſſum Dacia limites diſtinguat, incurſionibus abſtineatur, niſi ſocia jungenda ſint arma. Cum hic viderent opulentiſſimam prædam ſibi abſciſſam, Orienti inhiant: & ultro fata panderunt viam; Leo Imperator in Symeonem Bulgarorum, quia ipſe ſuperare non potuit; Hungaros irritavit: à quibus ingentem ille cladem accepit brevi Leoni rependendum cum enim captivos quos ab Ungaris emerat, nollet reddere, & copiæ ipſius cæſæ; (*b*) & inſidias domeſticorum vix effugit.

(*a*) *Luitprandus*. (*b*) *Zonaras*.

CAPUT XVII.

Bellum cum Italis, Germanis, & Ludovici infœlix prælium.

DIvidebatur Italia in Berengarii & Guidonis factiones, cum Arnulphus diem clauſit. Ejus mortis gnari Hungari: qui ſoli bonitate nuper viſa, ſatis impatienter domi vitam adhuc dum traxerunt, arma capiunt. Spem addebant hoſtium vitia, civilibus nimirum bellis disjunctorum: Primo impetu Pannonias,

Pannonias, (a) pari deinde felicitate Moraviam rapuerunt; sanguine, & incendiis terras aperuerunt. Uno agmine Aquilonalem Danubii ripam, usque quâ venis ad Anassi ostia, exhauriunt: Præerat his Cussales qui Bojoarios omnis expertes metus acerbis affecit cladibus, Germaniam ad ducenta amplius quinquaginta millia passuum depopulatus est. Alarum agmen Italiam per Forojulianum petivit agrum: Duces limitis Charini Gothofredum & Everardum cum omni exercitu fundit; Aquilejæ, Veronæ agros cadaveribus complet. Pro his tanquam sociis Luithuardus Episcopus Vercellensis intervenit. Sed quia inter arma leges silebant, & calor inconsultus monebat victoriam persequi, direptis thesauris præ multitudine non supputatis, ipsemet Marti omnia vastanti cervicem supposuit. Inde in Germaniâ minus prospere pugnatum est: Chussali enim ad Physcam infra Viennam revertenti Luithpoldus Præfectus militaris, qui & Dux Bojorum, cum Richardo Bethavensi Episcopo occurrit; eumque ingenti cæde fatigatum inopinato aggreditur; mille ducentos Hungarorum in Danubium præcipitat, nec reliquos alioquin victos resumere animum sinit, sed Posonium usque insequitur. Chussales re in discrimen adducta non aliud reliquum putavit, quam aut tenere li-

 bertatem

(a) *Aventinus.*

bertatem, aut mori ante servitium: Unde factum ut dimicans fortiter, quamvis prælio victus stragem suorum non videret, aut vitæ ferret pudorem. Tanta fertur fuisse hæc cædes, ut Hungaros arrogarent Bojoarii eum diem ultimum habituros, nisi Ducem seditiosa suorum superbia revocasset. Adversum Martis nuncium non diu Hungaros domi continuit: sed quiete validi & dissidiis Germanorum robustiores majora tentant. Reges interfecto Cussali suffectos Dursachum & Bugothum rogant maculam ignaviæ abolere vellent; nec ii probitatem stultitiæ, quietem socordiæ ducentes impetum morati. Anno exacto Pannonias continua populatione exhaustas occupant; colonias Hungarorum per terras Bojorum disponunt. Cæsar Ludovicus de his Regno ejiciendis Anassiburgi consilium inivit, nec diu cunctatus numeroso cum exercitu Augustam Vindelicorum perexit. Hungari rati id quod erat telis sagittisque rem gerentes Bojoarios insigni prælio vincunt: Luithpoldum Ludovici legatum priori fortuna elatum, Eysenrichum epularum Magistrum cum universis copiis, & quindecim Dynastis trucidant; tantoque intolerantior servitus victos sequebatur, quanto irreverentiori sanguinis humani parendum erat. Ad hos coercendos Ludovicus exercitum dissipatum colligit, recentesque copias insidiarum ignarus

ignarus educit: Juxta Lemanni fluminis campos diu pugnatum eſt; cum Durſachus & Bugo.nus in præcipiti ſtantes conſilium à præſenti neceſſitate capiunt; fugam ſimulant, & hoſtes ad inſidias quę in ſylvis erant conditæ perductos cruento prælio vincunt. Imperator cum à fronte præcipitium eſſet à tergo lupi imminerent peculiari fortunâ manus effugit: Hungari ſucceſſus urgent ſuos, & devictis feroces inſtant: quaquaverſum graſſati, cæde, populationibus, more genti ſolito, terras fœdant, Monaſteria expugnant. Pontifices, Flamines, & quicquid religioſi erat profanant. Cumque modum rapinis non invenirent Utinum in cineres redigunt. Oeno tranſmiſſo Tigurinos vertunt. Ultra Iſeram Schlechdorfium Damaſiam & circumjacentes urbes fame, ſiti ad deditionem compulſas diruunt: Vindelicia peragrata ingens hominum multitudo veluti jumenta victores ſequuta. De hinc inuſitati facinoris celebritate priſtinum conſilium perſequendum parant: præda enim onuſtos Boji invadunt; in quos terrore latius dato, reliquam ſtragem quaſi unius manu fecerunt. Exuſto Reginoburgo, Oſterhofenio Danubium tranſeunt; Bojemos, Nariſcos, Boethos, Chamavos Francos adeo trucidant; ut paſſim Germaniæ flumina ſanguinis inundatione augerent: & Ludovicus tot malis fractus Imperium Hungaris

tributarium facere cogeretur. Germania excedentes consuetudine ad belli cupiditatem tracti, pro naturâ feroces, ac conficiendæ rei cupidi quiescere non poterant: animis à superiori fortuna acceptis in Græcorum Imperium priori bello libatum hyeme exeunte impetum armorum convertunt. Peragrata Mysia superiore, vastata Thraciâ, lacessitâ Macedoniâ Bulgaros dimicare ausos alias id temporis potentes, populosque peregrinos in potestatem redigunt: Nec Constantinus patrui Alexandri collega, Urbes suas tributa solvere jam territus renuit.

CAPUT XVIII.

Hungariæ descriptio: item bellum cum Italis & Conrado.

QUia Hungariæ Regnum hoc tempore amplissimum fuit, huic rerum ordini situm ejus conferre placuit. Pannoniæ Regnum Danubii ripas olim non excessit: Hungaria porro quia à dicto flumine ad Carpathios excurrit montes Sarmatiam Europæam terminantes, Citerior, & Ulterior vacata est. Citerioris quæ & Pannonia; superior pars Austriam, & Styriam continet: inferior est inter Dravum Balatonem lacum (qui sub Christi adventum in agro Gisiensi erupit) Verthes deserta, & Danubium;

Ulterior

Ulterior Hungaria montibus Carpathiis à Moraviâ Marcomannorum Slesiâ & Sarmatiâ seclusa Jazyges Metanastarum, & Daciæ partem citra montanam continet; hanc mediam Tibiscus perfluit: qui à Maromorusiis supra Szigethum ortus montibus inter Zemlinum, & Salankenienum Danubio miscetur. Inter Dravum, & Savum, quin ad Hunnum usque flumen pertingens Sclavonia jacet. Infra Savum Croatia, Bosnia utraque, Dardania adeoque Dalmatia est. Ulteriora tenent Illyrici, qui & Liburni ad mare Adriaticum usque protensi, quibus ad ortum Bosna fluvius. Huic confines Mysiæ: Superior quæ & Servia, item Rascia; inferior hodie Bulgaria dicta; Bulgari enim ex Asia profecti, ejectos ex inferiore Mysia Bessos in superiorem migrare compulerunt: Utraque inter Danubium & Hunnum montem est, quarum hæc ad Euxinum usq; Pontum exit. Ab ortu Citerioris Hungariæ est Dacia inter Tyram flumen Pontum & Danubium: complectens Transylvaniam, Moldaviam, & Transalpinam. Transylvania sylvis, & montibus coronæ in speciem cingitur, ubi Alba Julia, Decebali Regia, Zarmisia, Zarmisghethusa, & Augusta Daciæ dicta. Moldavia alibi explicata. Urbs primaria Szucsova: Transalpinæ Tergovistia. His terris in potestatem redactis Germaniam Hungari sibi tributo ligare satis habuerunt. Sed

quia partim pudor erat, partim intolerabile Germanis, populo triumphato potius quam victo ab ipsis Romanis captivitate fratrum, servire Barbaris, qui ipsi imperare didicerant, Ludovico exeunte Conradus Dux Franconiæ Cæsar salutatus, Arnulphus Luithpoldi filius rex Bojorum proclamatus alterum bellum, minus quidem tempore sed periculo nostro speciosius tributi impatientes excitarunt. Coram Hungaris cuncta terrarum flamma & ferro se vastaturos minitabundis antiquæ virtutis, & gloriæ meminerunt: Abiit igitur res consilio ad vim certantium: Hungari præcipites ad explendam animi cupiditatem, & victoriis insolentes Bojoariam aggressi subito pavore percellunt; hi passim urbes occludunt; universi fugam quo possunt meditantur. Sed metus quo major erat, eo pulchriorem hostibus victoriam proponebat; nam Arnulphus re in discrimen adductà, insidiis dispositis imbelles ad loca tutiora mittit. Hungari Anasso superato omnia longè lateque pervagantes passim urbes, & castella vel metu deserta, vel clausa postquam diripuissent; victoria ovantes nullo hostis intuitu futurorum incuriosi ad Oenum consederunt, ubi genio indulsissent trajecturi. Hos Arnulphus de improviso circumvenit, cædit; fugientes Oeno submergit. Trepidatum hic plus quam ullo tempore est: sed egregia virtute Dur-

sachi

sachi liberatio contigit, qui in ipso periculo Bojum impulit, bellis enervatum ad feriendum fœdus. Præsens tamen clades ingentibus expiata est victoriis. His enim utcunque transactis tot populorum Dominæ inhiabant Italiæ. Addebant spem dissensiones inter Leonem quintum, Sergium tertium, & Christophorum Pontifices sine dubio ultoribus eorum fastus. Agrum Forojulianum transgressi Papiam usque prædando, & urendo delati sunt: Berengarium post excitatas Tuscorum, Volscorum & omnis Italiæ gentes, innumero exercitu validum ad Brennam fluvium horrenda afflixerunt strage. Quæ tota ex contemptu hostis ortum habuit: cum enim à tumido viribus suis Rege ablatâ licet omni prædâ, pacto de nunquam invadendâ Italiâ sponte oblato, incolumitatem corporum singulis conscensis equis obtinere nullis precibus possent; Hungari negligentiâ hostis valentiores arrogantiæ pœnas sumpturi tripartitis insidiis, tam secura aggrediuntur hostium agmina legatos à se missos præstolantium ut multis potum in gula transfoderent. Et qui placari magnis muneribus nequiverant, vecordiæ pœnas dantes strage sternuntur Itali. Neque deinceps quicquam fuit quod armis Hungarorum non pareret: tantâ enim potentiâ scribuntur vicisse ut pars Italiam, pars Bojoariam quamvis contra fœdus;

nempe in rabiem acta Faranciam, Saxoniam effusissime vastaret, Neque hic indignatio stetit: biennio exeunte Fuldam usque penetrant, unde Basilea eversa Lotharingiam Alsatiam depopulati sunt, ea celeritate, ut Conradus pecuniá postmodum pacem mercatus, prius victus qnam hostis adesset videretur. Is certe horror fuit cladis, ut Hungari furore jam perciti, ne cæsorum quidem carnibus abstinerent. Causam tantæ crudelitatis Lehel à Conrado ad Augustam captus his verbis edisseruit; Humanorum scelerum snmus ultores, ad supplicia vestra à Deo editi; quum vos persequi desinimus, à vobis irato numine capimur, & obtruncamur.

CAPUT XIX.

Bellum cum Italis, Berengariis auctoribus susceptum: & Henrici Aucupis de Hungaris victoria.

QUamvis toties castigata, nihilo prudentior factionibus distrahebatur Italia. Ludovicus Bosonis filius jure Pontificio nixus, Imperatoriam Majestatem sibi asseruit: addebant animum Longobardi quibus nihil antiquius erat, quam ut Berengario dignitas abrogetur. Is igitur inter sacrum & saxum inter malleum & incudem Hungarorum amiciti-

micitiam juratorum fidei hostium venatus est. Hungari contra Longobardos irritati per Italiam dilatantur, Lambertum Episcopum Mediolanensem; Heydelbertum Præfectum Prætorio, & alios Regi rebelles vel occidunt, vel imperata facere cogunt. Nec diu victoriæ Berengarius superfuit, quem filius ejus nominis secundus excepit. Contra hunc Rudolphus Burgundiæ Dux Italiæ Principatum ambivit. Berengarius porro suis diffisus, & Regni, & morum hæres tentatum Parenti iter subsidiorum ergo prosequutus est. Hungari exciti specie quidem socium juvandi, re ipsa sollicitante præda intervenerunt: incondito agmine Italos trucidant, Odelricum Comitem Palatii numeroso cum exercitu proterunt, Adalbertum Marchionem, & Giselbertum vivos capiunt, quorum ille dissimulato habitu brevi effugit. Summo scelere Berengarii in proprium sanguinem sævientis brevi retribuendo hæc facta sunt: nam exeuntibus Regno Hungaris & turpiter victus est, & Flamberti cujusdam summis à se beneficiis affecti perfidia nec impunita cecidit. Ruina Regis Hungaros occasioni invigilantes ad ultionem accendit: quorum immensa moles Duce Szalardo per totam inundat Italiam. Nulla exosculari munera, nullis pollicitationibus à destinatis aversi instabant, & sæviriâ quasi virtute utebantur. Exnsto secun-
 dum

dum Ticino, provinciis expilatis opulentam in Hungariam pertraxerunt prædam. Sequutum est bellum Germanicum: Conrado mortuo Henrico cognomento Aucupi pristinum tributum Hungari additis minis imperarunt: sed quia difficilius est provinciam retinere, quam facere, & tributum denegatum est & contumeliosa acceperunt verba. Hinc bellum: Ungari coacto ingenti exercitu, servantes sanctè fidem nuper cum Bojis initam, Arnulphus quippe Conradi insidias vitans, ad Hungaros fugerat, prudentiâ Henrici postmodum revocatus Bojoariam pertranseunt. Franciam, Suevos Tungros, maxime Saxoniam Cæsari hæreditaririam vastarunt. Sed quia maxima quæque ambigua sunt & odium præsentium nec non cupido mutationis raro gloriæ, plerumque periculi causa esse solent: Henricus impotentiæ pertæsus Hungaros ad Meersburgum in confinio Saxonum Thuringorum, & Sclavorum inopinato aggreditur. Primas sagittas prudenti scutorum objectu excipere mandat. ac dum secundo tenduntur arcus irruere: ita Hungaros inclinat, internecione devovet, & Germaniam fœdo servitio liberat. Feruntur reliquiæ bello superstites passim à Regnicolis datâ perfidis veniâ infami societati contravenire ausis occisæ: nec nisi septem cladis nuncium id Pannoniam Daciamque pertulisse, qua & cæde accepta

Henrico

Henrico Imperante Germaniâ manus abſtinuerunt; uſque adeo nihil magis arduum eſt, quam dum infrene eſt dominium, & exlex potentia eodem loco imperium, & eſſe.

CAPUT XX.

Bellum rurſus cum Bojis, Italis, & Bulczkonis clades ab Otthone M. accepta.

AD Otthonem Magnum quia propoſitum intervalla temporum poſcebat; Ungari domeſticos intra parietes ſederunt: ſed animadverſum eſt plerumque à pudore timorem vinci, etiamſi omnia plena ſint deſperationis. Viribus enim quiete non longa reſumptis Bôjoariæ fines invadunt, pars Tranos, Noricos, pars Charinos vaſtant, populationis illico pœnas daturi. Beichtoldus enim Dux Bojorum juxta Valentiam cruento eos prælio vincit, & cedentes partim ferro punit partim Trano immergit. Eadem fortuna apud Charinos pugnatum eſt, & quod in re plenâ periculi contingit, Ducibus amiſſis fugitivi Hungari pedem retulerunt. Cladem acceptam Taxis nondum Regiæ apud Hunnos dignitatis ulturus, duobus exercitibus limitem Auſtriacum, & Charinas in confinio Italiæ rapit ſed hunc

quoque Henricus Berchtoldi hęres adeo protrivit, ut paſſim palans latebras quæreret. Cauſa mali fuit; quia affectibus ſerviens ferociam arte non juvit, & ſine permiſſu Regis alienas invaſit terras quaſi plus in victoria, quam imperio eſſet. Vertit igitur furorem in Italiam: eumque Berengarius tertius Primi Nepos tutelam regni quaſi agens pro Lothario, imperato in lactentium capita tributo decem modiis placavit: quantum & Hugo olim pependerat. Nondum bene deferbuerat crudelitas Hunnorum: cum Gerhardus Bojus, & Conradus Dux non ita pridem ab Otthone M. proſcripti, templa perciti furore ſpoliarunt, Monaſteriis expilatis, gazam Eccleſiaſticam Hungaris adhuc dum Ethnicis in Germaniam irrupturis diſtribuunt. Bulczko Durſachi ſucceſſor penſitatis ante acceptis cladibus, & minima ſui temporis licentiâ, legatos officiorum prætextu, reipſa experiundi ergo ad Otthonem mittit: ex quibus tam amœnitatem ſoli quam facultatem ejus occupandi, in adulationem compoſitis, quam verorum nunciis audivit. Placuit igitur Bulczkoni maximam gloriam in maximo imperio ſine ratione quærere. Anno quinquageſimo poſt Ludovicum ad Rhodonum cæſum quinque legionibus, Tetrarchus Lælio, Sura, Toxo, & Schaba Germaniam adoritur: centum millia militum Barbaris erant, quanta confluentia

fluentia Hungarorum haud unquam visa, quasi ultro demonstrantibus supremum diem fatis, ut qui nullis persuasionibus à cœpto deterreri poterant; res eorum fortuna in unum diem cumulante, cæde suorum resipiscerent. Horum metu passim agri relicti; urbes aut firmiter munitæ, aut desertę; homines inaccessas rupes salvandi corporis studio quæsiverunt: Ungari sylvis montibusque emensis cuncta terrarum immanitate non noviter tentatâ prædæ habent, exurunt: Bojoaria vacue facta ultra Rhenum penetrant. Conrado ductore Lotharingiam evertunt. Et tum quidem domus, templa & aræ, humana omnia atque divina jura violata sunt: Sed quia Ottho tantæ impotentiæ rumore stupens copias undique ad octo legiones contraxit in Rhætiam pace cum Venedis percussa contendit; quamvis Hungari Bojemos ad impedimenta excubantes acerbo prælio vicissent. Animadversum quo vehementior primus impetus erat, sequentem minorem fuisse, & Hungaros sæviisse, quia tempus propinquum erar. Hos Germani palantes undique invadunt; cædunt; Hungari graves armis, prælio ac discursitationibus defatigati Lyci gurgitibus hauriebantur: alii gladio interempti, singuli acerrime victi, ut Lyci alveus cadaveribus oppleretur. Rex cum Ducibus aliquot captus Regioburgi patibulo affixus est; reliqui consternatio-

ſternatione animorum vallibus ſe muniverunt. Hoc prælio enervatæ Hungarorum vires, & ſuorum cæde mitiores facti ſine dubio perire debuiſſent, niſi periiſſent.



LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Hungari Christianam fidem Duce Geysa recipiunt.

TAxis hoc bello fortiter cadens dolorem ferro averterat: cujus filium Geysam seu propter Parentes, sive ob insignem Viri religionem Hungari adversis casibus mansuefacti ultro petiverunt. Et quia rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: non dum annus Christi octuagesimus supra novem secula exiverat, cum salutari fonte ab Adelberto ablutus, cultum veri numinis, âbrogatâ superstitione, Idolis posthabitis propagare cœpit; feram gentem avertere tentans à belli studiis, Christiana mansuetudine sensum animosque temperare voluit. Addebant, animum Constantinus ejus nominis septimus Orientis Imperator, & Germani in id summe enitentes, quos non mediocri tanta novitas affecerat gaudio. Hic igitur Sacerdotes & Ponfices frustra repugnante naturâ indomitâ

indomitâ conſtituit: eo que ferocem populum redegit, ut depoſitâ Barbarie, Herculis Martiſque veneratione Chriſtianam fidem amplecterentur. Captivi quorum multitudo non mediocris tot annorum decurſu tranſportata fuit, certatim templa extruunt: ſoboles ad ſacrum fontem deferunt. Uſus Geyſa ad rem conficiendam opera Pilgrimi Viri ſanctiſſimi; qui in Hungariam evocatus collegas adoptavit: Ipſe Dux Bojorum Saxonumque armis adverſarios intra limites coercuit. Ut merito populus Hungaricus ſalutem Duci ſe debere exiſtimaverit, cui novum ſidus noctis quæ pene ſuprema videbatur illuxit: ut conditis gladiis tantam tempeſtatem, ſubita ſerenitate diſcuteret. Bellum in Auſtriam invitus geſſit, quam Rodegero ablatam, Leopoldo reſtituit: Hungari ejus filium ditione expuſum brevi audiverunt: Quare Ducatum præeunte Aba repetiverunt; tenuerunt: donec Albertus Henrici Imperatoris filius ad Germaniam reduxit. Fuerunt & alia diſſidii ſemina. Henricus cognomento Sanctus fratrem Brunonem ditione Bambergenſi exuit, is porro evitato periculo ad Hungaros fugit. Imperatorem cum in Italiam tenderet, Hardvicum Lombardiâ depulſurus Hungari convenerunt: quorum niſu in gratiam Bruno eſt receptus.

CA

CAPUT II.

Stephanus I. Rex religionem propagat: Cupam & Gynlam vincit : Bulgaros coercet.

EXcepit eum Stephanus filius, quem & dignitas, & virtus Hungariæ vindicem crearunt. Dum Bonifacius septimus à Benedicto pelleretur, Anglis, Danis, Polonis, Hungarisque idem profanæ religionis abjurandæ animus fuit. Rex Stephanus Astrico Strigoniensis Ecclesiæ nuper à se instauratæ Antistite ad Pontificem legato usus: à quo dum quaquaversum innotescit à summâ sanctitate; & duplicatâ cruce, & Coronâ Regi Poloniæ destinatâ honoratur: eidem prælaturæ ut à Regibus in Hungariæ Regno conferantur concessum est. Et ne præceps ista honorum continuatio videretur; barbarie explosa fuerunt rationes, cur & Pontifex coactus est facere, & ipse perpeti; Quanta enim fuerit Ethnicorum castigatio Cupæ Calvi Zirindi filii (is tum in agro Simigiensi dominabatur) conspiratio fatetur: quem tamen quamvis, & superbia tumentem, & multorum consortio validum Vencellino Duce Alemanno debellavit, Veredarium Præfectum legionibus in Daciam ablegavit, ut feros homines molliori consuetudine permulce-

permulceat: cui non diu Gyula Regis avunculus restitit: victus est enim, & Rex veteribus divitiis abundantem Transylvaniam Hungariæ Regno in perpetuum addixit. Sequutum est bellum Bulgaricum. Bulgari liberi quondam populi ex Sarmatiâ Russicâ prope Volgam (unde & nomen fluvii)egressi; ubi inter Morjucanos populos, & Rhimnicos montes adhuc Bulgaria Major inhabitatur, in Mysia inferiore consederunt: Bessosque in superiorem migrare compulerunt. Hi innumeris Orientem affecerunt cladibus donec Christianam religionem Michaele Theophili filio imperante receperunt. Stephano Rege, Duce Chea in Hungariam effunduntur: nec tamen diu prædas agunt; victi enim non procul à Jazygum confinio, & acri prælio cæsi sunt. Quo factum ut Basilio Orientis Imperatori facile colla subderent: quam fortunam Chroatarum natio & Syrmium urbs Pannoniæ imitatæ. Rex Gisalam Imperatoris sororem utriusque vitæ sociam duxit: Uratislaviam, Pisonium, Oedenburgum, Sempronium, Sabariam nomine dotis accepit. Ex qua illi Emericus; sanctitate, & pietate tanto amabilior, quanto mors Juvenis maturior. Morte nec dum certâ novum exarsit bellum. Conradus enim Henrico filio Bojoariæ Ducatum addixit nomine dotis Emericum concernentem. Legati mittuntur: qui quia nihil

hil profecerunt, placuit bellum. Viana à Rege capitur, terra in omnem partem devastatur: Nec secius Imperator altera ex parte ad Arrhabonem penetrat, terras exurit, nec tamen nisi Emerico excedente juri renunciatum est. Cujus morte, adeo fractus est Stephanus, ut filium cui ditiones quæsiverat, jam pro Deo tutelari importuna religione veneraretur. Comperto fine Vazulem Patrui filium in spem Regni erexit: quo mortua Regina exitu Viri arrogantiæ virtutum scopulo dedita, scelerato signata est nomine. Rex triginta septem annis fœliciter, & religiose regnans Anno salutis trigesimo quarto supra millesimum expiravit. Inter sanctos postmodum relatus est; quamvis & superstitioni multum faverit, cum magnitudinem, & pietatem in summa fortuna retineret, præsumptionem & superbiam effugerat.

CAPUT III.

Stephano Petrus sufficitur: qui crudelis in suos dignitate privatur: & Regnum in Abam transfertur.

EXcepit eum Petrus è Sorore Nepos, qui cæde Vazulis partam potestatem non melius egit quam acquisiverat. Inviolatum hactenus Regnum, & firmiter virtuti addictum

ctum avaritiâ propriâ, & superbiâ fœdavit. Despectâ gente Hungaricâ cujus se Principem gerere debebat, gravis esse in omnes & ignarus quicquid alte se sustulit opportunum ad casum, nec ulli fortunæ minus bene quam optimæ esse crudelitate agere cœpit. Gisalæ peculiariter sibi commendatæ, judicio ut creditum est divino, primum relegatæ dotem aufert: rapina, & fraudibus in omnes; cædibus & sanguine in Proceres Bvdæ cujusdam corvi aulici consilio, qui severitatem ejus in gravitatem detorquebat grassatus est. Monitu Procerum nihilo melior, ad extremum fecit ut Regnum cupidine libertatis incenderetur. Igitur Physco, Stoiczlio, & Pezilone Ducibus, anno post auspicia tertio conjuratum est: populus ad vindicandum justitiæ, & innocentiæ decus Regem repetente destituit, conscios scelerum cædit: & bonis direptis imperium in Abam transfert. Petrus tantis periculis expositus, quia ad tuendam fœlicitatem alia fœlicitate destituebantur per Vindeliciam ad Henricum Imperatorem effugit. Hic Petrum nuperæ Bojemorum defectionis auctorem aspectu prohibuit, quin & vinculis constrixit: Petrislaus enim Regem se ferens Petri societate usus ad sylvarum aditus Cæsari obstruendos; & Imperator ducibus amissis adversum prælium nec tamen inultum effugiente Hungaro contumaci Princi-

pe

pe in ordinem redacto immisit. Quia porro & Albertus Orientalis limitis Præfectus adnisus est, & ipse Cæsar in fortunam Regiæ stirpis propensus erat, gratiam delicti reconciliavit Petrus.

CAPUT IV.

Aba crudelis in suos rejicitur, & Petro Regnum traditur.

ILlo ejecto, cujus ut fit omnia acta rescissa sunt, in pristinam dignitatem rediisse Regnum videbatur, & rediisset; nisi & Petrus hæreditarium jactasset, & Aba aliorum Dominus suis servire affectibus voluisset. Initio Regni mentem Cæsaris explorandum censuit: Imperator contra tergiversatur, obscuris involvit vera: Dux legationis quæ inquit mora est? pacem velis an bellum? Ille judicio proprio, & suorum consiliis usurum se responsum dedit. Rex ludo habitus duo legionum agmina in Bojoariam irrumpere jubet: horum alterum Ducis fidei commissum ab Alberto, & Luithpoldo prædæ intentum, partim internecione cæsum, partim Murę immersum est. Alterum quodam velut impetu limosa Styriæ, & montana Carinthiæ perfregit; & ingenti præda cui similis antehac asportata vix fuit onustum domum repetivit. Tribus annis Abæ Regni expletis

expletis, conventu Coloniæ Agrippinæ habito, additis animis Primores Germaniæ quasi procella quadam in Aquilonarem Hungariæ partem detonuerunt. Aciter duobus præliis Aba vincitur; Hunnoburgum Posonium, loca ad Granum usque imperio ejus ablata. Quo tempore dubium non erat quin Regno Petrus impositus fuerit, nisi preces victorem mollioribus animis imbuissent. Victoriæ tamen proh pudor, præmium fuerunt quadringenta talenta, Gisalæ Reginæ per Petrum ablatorum restitutio, pars Regni ab ostiis, & fontibus Mauri, & quicquid intra Lycnam Physcumq; flumina continetur: ipsa Austria Alberto Bavaro primo ejus Marchioni assignata: Hæc Regi metus potius quam fides extorserant: quare inconsulto calore, & ira subita in transversum actus, juri jurando nō amplius standum ratus est; captivorum multitudinem penes se retinuit, pactum de pecuniâ solvendâ irritum fecit. Non deerat Cæsari animus ab Hungaro perfidiæ pœnas sumendi, dum intestina in imperio mala exarserunt; & quies quamvis non secura trepidanti ad futura Regi apparuit, Confirmatus utcunque in Regno, quia formido, & tremor rabie quadam Regem perculerunt, inimicus Petro morum ejus sectator acerrimus fuit, quasi Summæ dignitatis Viro umbra esset auctior. Hinc consilia clandestina, verba proscissoria,

&

& solitus horum finis conjuratio Procerum civilibus turbis distinctorum. In hos Rex per speciem evocatos ad Chanadium fide acceptâ securos indicta causa sævjit, novissimâque clade adeo ferociter egit, ut ne natorum quidem cæde abstineretur. Auxit ea res conspirantium animos, non fregit: qui ad Henricum Petrumque fugientes, arma non pridem in Petrum sumpta, ludibrio sane rerum mortalium in substitutum convertunt. Prope Jaurinum fortiter pugnatum, donec prout maximæ fortunę maximæ licentiæ accidere solet, milites Abani tot scelera defectione ad Petrum redhostierunt; ipse Rex fugâ tentatâ apud villam Shœbæ Deo ultrices pœnas repetente cæsorum manibus litavit,

CAPUT V.

Petrus reductus quia pristinum ingenium retinuit crudeliter habetur; & Andreas Regnum suscepit.

ADfuit prelio Cæsar, & triumphabundus Hungariam circumivit; ab Episcopis apud Albam eligendi Regis ergo congregatis decretam sibi dignitatem Regno mancipi in Petrum transtulit, Petrus à multis periculis rigidior non futuræ, vel præteritæ conditionis rationes exegit; quin imo Impera-
toiio

torio fretus patrocinio priſtinum immitis animi ſenſum, quia lege aut pœna puniri illico non poterat, & pudor aut fides exulabant, reſumſit; cæde in ſuos, furore in omnes graſſatus eſt. Quare nuper cultus, in omnium conſpectu obſervatus, honorem, & dignitatem ſceleribus imminuere non deſiit. Viſca & Brunna ducibus populus Hungaricus ſecundæ conſpirationis fundamenta infœliciter jecit: Conſilium enim ubi erupiſſet miſerrimum humanæ ſortis ſpectaculum cruenta morte poſteris dederunt. Seditio tamen non tam ſopita, quam dilata eſt: Chanadienſi quippe conventu, dum effrænati contra Chriſtianam religionem præ malignitate Regum plerorumque eſſent animi: Andream, & Leventam monitis Stephani Regis profugos ex Poloniâ accerſunt. Hi non diu apud Novam arcem ad Nitriam flumen deliteſcentes, viribus incolarum adjuti iram in Regem conceptam in religionem effundunt: Prope Peſthum congregatum Epiſcoporum inſignem numerum velut Deo iraſcentes flagitio execrabili cædunt, templa incendunt, ſacra miſcent profanis: Petrus à ſuis deſtitutus ex agro Moſonienſi retrahitur, & occæcatus genitalibus crudeliter abſciſſis pœnæ ſuæ ſupervivere tribus annis adigitur. Ita evenit ſæpe cum primas fortunas prudentia deſerit, futura præſentibus ſunt periculoſoria, tum etiam crudeli-

crudelitatis pœnas perferre necessitas cogit.

CAPUT VI.

Andreæ Cæsar bellum infert: sed victus mitioribus animis imbuitur.

POstquam Aba Petroque cæsis, nulla jam publica arma, excedente Leventa Andreas Dux supererat solus, quadragesimus septimus Christi annus supra millesimum currebat. Hic sumpto Regis nomine superstitionem nuper concessam sedulo arcuit. Adversantes per aciem aut proscriptione pœnas violatæ religionis sanguine suo, & cædibus illi ipsi, quo Fautore tot prælia victores inierant, pendunt. Nec Henrico tertio principio integrum erat ulcisci Italicis motibus distento. Nam Benedictus nonus à Sylvestro tertio dejectus, mox favore factionis suę restitutus Johanni Gratiano censu Britannico; quo singula capita singulos nummos pendebant annuos thronũ elocarat: Hujus Cæsar dignitate ademptaClementẽ secundum in locum suffecit, brevi & ipsum veneno tollendum. Confirmatus Andreas Belæ fratri propter singulare certamen Pomeraniæ Præfecto tertiam Regni partem sub appellatione Ducis tribuit. Duos filios ex filia Ducis Ruthenorum Solomonem, & Davidem, tertium ex pellice

Georgium ſuſtulit. Dum mutuâ fratrum concordiâ fœlicitas in Hungariâ ſerpit, Cæſar Italicis rebus ad arbitrium redactis illatam Petro injuriam perſequi inſtitit; nullis tributorum pollicitis, ſeu propriis armis ſive Andreæ impotentiæ nimio plus fidens, cœptis avocatus res Hungariæ in unum diem cumulare anhelabat. Auſtralem Regni partem invadit; unde paludum fluminumque eluvie retractus eſt: nihil tamen inexpertum relinquens acrioribus ſtimulis in vindictam agebatur. Rebus Germanicis novi motus hic exarſerant, quibus per inducias compoſitis Poſonium pervenit: ubi Zothmundi ſeu calliditas, ſive ſingularis fiducia, naves terebro perforatas gurgitibus Danubii immergentis primam victoriam parem fecit. Nec diſſimilis prudentia ſine controverſiâ ſecundam tradidit: Cum enim interventu Leonis noni nihil Andreas miteſceret, anathemate eum Papali Henrico ob beneficia obſtrictus perculit; & majore apparatu Cæſar Præfectum claſſibus Gebartum impoſuit, ipſe terra Hungariam, petiturus. Solum juſſu Regis nihil moti fulmine expiatur, Gebartus dolo ad redeundum inducitur: hinc ſpes noſtris. metus hoſtibus; exercitu inediâ confecto, de libero in Germaniam reditu Andream Cæſar exoravit. Nec diu pactum ſtetit: Conradus enim Dux Bojorum dignitate motus Regi inſtantibus querelis ſuppeti-

ſuppetias extorſit ; late Charini vaſtantur, nullo hoſte finitimi domantur, & præmium victoriæ Hengſtiburgum fuit. Remiſſis tamen utrinque injuriis ad ultimum fœdus contractum eſt : Solomoni Andreæ filjo, poſtquam ſucceſſio in Regno confirmata eſt, Imperaror filiam deſpondit.

CAPUT VII

Bela in fratrem movet, eumque à ſuis deſtitutum cædit ; Regiâ dignitate contra Solomonem uſurpatâ excedit.

FErre Solomonis Regnum Bela non potuit, quem ante ex Pomeraniâ evocatum Rex ſibi ſubſtituerat ; & violatæ fraternitatis cauſa, cætera concordibus dominandi libido fuit. Nec diu intra verba conjuratio ſtetit : Bela enim multis Hungarorum in ſe pronis. Polonorum præterea copiis firmus regnum invaſit : cui Andreas præter ſuorum legiones, Germanorum Bohemorumque robora Solomonis excita precibus oppoſuit. Concurritur ad Tibiſcum, Marte ambiguo diu eſt pugnatum: donec Ungari Chriſtianæ religionis odio. & profanæ nuper non conceſſæ cauſa ad Belam transfugæ animum abſtulere relictis. Plurimi tum cæſi : ex his Andreas quod propinquo fecerat, id à fratre Bela laturus, è fuga verſus portas Mezenſes retra-

ctus, & ab Hungaris peſſime habitus, pugnantium pedibus conculcatus eſt. Ea victoria clementer uſus Bela; rebellibus vitam ultro conceſſit, Germanici exercitus duces (inter quos erat Guilhelmus Thuringus à virtute magnus) in prælio captos favoris ut pleriſque viſum expugnandi ergo gratis dimiſit? Et cum Hungaricum ingenium Polonicis artibus miſcuiſſet: forum & precia rebus conſtituit? cenſus & tributa ſubditorum minuit: nummus hactenus incognitus. Hic quæ reperit munivit; & ad nova ſtruenda animum adjecit. In ruſticos abjurandæ Chriſti fidei obſtinatos; qui magnos tumultus excitaverant, quaſi montes parturirent ut mus naſcatur, ſubitarium militem irruere juſſit, eoque proceſſit ut vi atque injuria occupatum imperium, religione, & juſtitia gubernaret. Fauces Panroniæ reducendi Solomonis animo Imperator ſuperaverat: dum anno Regni tertio ſalutis ſexageſimo quinto ſupra milleſimum ad oppidum Demes cum ruina ſolii illabentis ubi membra luxata eſſent ad mortem afflixit.

CA-

CAPUT VIII.

Solomon à Cæsare restituitur, brevi ob simultates cum filiis Belæ quamvis primo compositas Regno ejectus.

VIx menstrua dehinc quies. Civilia mala repullulant: Solomon quippe in Germaniam profugus Imperatore socio, resumendo sceptro bellum paravit: Geysa & Ladislaus filii Belæ metu percussi adeoq; inferiores, quia libertas Regis ipsorum servitute stare debebat, fugam experti in Poloniam secesserunt: ubi & tutum exilium agerent, & recuperandæ patriæ spem reciperent. Res videbatur in tranquillo, & pace cuncta refovente Regnum sub tutela Solomonis quiescere: unde, & legionis Germanicæ discessus veniâ impetrata contigit? Geysa porro & Ladislaus annis tirones, animi robore veterani exercitu competitoris imminuto audendum aliquid râti; repetundi Regni consilia agebant: oppugnabantque Boleslaum Polonum ut opem, & beneficium Patri probata propagaret in filios. Is seu Paternis meritis motus; sive infœlici casu in Hungariam penetravit: sed exitiale bellum omni conatu potentior fortuna discussit. Desiderius quippe Archiepiscopus Strigoniensis, conatibus utriusque obviam eundo,

do, ſimul & in rem ſapienter conſulendo, armorum incerta, mala inteſtina propoſuit: & Geyſa ad eam rationem eſt adductus, ut ſuperato proprio affectu æquis pacti modis ſtare vellet. Initur pax ut Belæ filii Ducum titulo, & tertiâ Regni parte contenti ſummum nomen Solomoni relinquant; longe moderatius maximo tum Regno, quam exiguo poſtmodum ſpolio inter partes diviſo. Eodem tempore Quinq; eccleſiis forte Divi Petri Baſilica ignem concepit; pervagatumque incendium remedia velocitate mali anteivit: Novæ hinc ſuſpiciones tam ex Regis quam Ducis partibus adeo creſcebant ut juſſum prorſus crederetur; quæ infamia, dum inſcii cauſæ caſum adverſum provocant, utrinque deceſſit. Poſtquam res Hungariæ, & per hoc ſingulorum Patrueles uniti ſupra modum auxerunt: Zolomirus hoſti impar Regem Ducemque ad auxilia traxit; cui Dalmatiam Carinthis & Noricis ejectis aſſeruerunt. Bohemos violatâ fide agrum Trincſinienſem expilantes ingenti animo cæciderunt. Supererant Cumani: qui finitima prædæ habentes; & ipſi ad victoris arbitrium multis ex ſe amiſſis redacti ſunt. Regnum ita pacatum firmius erat, quam ut externis everti poſſet manibus: itaque invidens proſperitati imperii fortuna illud ipſum in exitium ſuum armavit. Solomon annum tertium ſupra decem in regno exegerat

cum

cum Bessi, & Bulgari in Syrmium & Pannoniam effusi late prædas agebant: quibus Rex validissimis suorum contra stetit; ipse superato Savo Belgradum antiquis Taurunum à Tauris dictum obsedit. Bessi tumultuarie ad liberationem urbis concurrunt: Sed à Johanne Semproniensium Præfecto fortiter cæsi sunt, & arx subsidiis destituta capitur. Hinc præter auri argentique vim, margaritarum, pretiosorumque vestituum copia malo potius communi, quam privata utilitate insignis educta. Quos enim ante consilium Dei & virtus humana conjunxerat; divitiarum & honoris cupido Regem Ducemque distrahebat: ex spoliis opimis primas partes Rex sumsit, quarta concessa est Duci; quæ res infaustis Vidi consiliis tantum Solomoni in summam invidiam adducto Majestatis detraxit, quantum nuper voluntas concors addiderat. Initur prælium atrox; exituque ipso formidabile: Geysa & Ladislaus acie prima inferiores, viginti millium Bohemorum stipati exercitu ad Sylvas Vaczienses secundum immittunt pugnæ discrimen. Gerebatur diu inter fortissimos viros certamen æquante fortuna; dum Vidus incertum ignarus rei bellicæ, an numerosæ Ducum legioni impar & ipse cæsus & Solomon regno pulsus est.

CAPUT IX.

Solomon ad Cæſarem fugit ; Beſſos cædit : & Geyſa pacem à Cæſare mercatur.

GEyſa Regiâ dignitate, & faſcibus uſurpatis, Ladiſlao Fratri Ducatum contribuit. Cum exule, qui ad fines Alemannorum agrum Moloníenſem & Poſonienſem tenebat, adhuc luctari de Principatu habuit: nam ad Germanos profugus, & pacis impatiens hoſtem Hungaris quaquâverſum quærebat: Nec facile ſubmoveri poterat majoribus in dies Hunrici quarti viribus nixus. Quin & irrumpens finitimas terras quam diverſus à ſe, cæde, excurſionibus, atque flagitiis fatigabat : laceſſebat & interiora, quaſi Regnum reſumpturus; ſed eventu ſemper irrito. Quies porro nulla erat, cum fortuna non recuſavit vel in parte adeſſe quamvis cognatos oppugnanti? Geyſæ malis occurſuro Beſſi libertatem ſtipulati ſuperbe potius quam vere efferunt, ejecto Solomone, trucidatis rebellibus, pacem firmam circumjacentibus ſe aſſerturos : Szultanus enim quamvis ſuorum copia, & ſociorum concordiâ validus; armorum tractatione, rerumque bellicarum ignorantiâ ſtupidus; in campis Poſonienſibus acrius, quam conſtantius inivit prælium. Res tamen Solomonis acie ſuperioris

ſuperioris eodem in exilio hærebant; cum Henricus Imperator Regis infortunium miſeratus reſtitutioni operam dabat: Tempeſtive poſitis ad Vagum caſtris arce Nitrienſi per deditionem accepta, Vaciam uſque pervenit; Solomoni ſuperiorem Regni partem reſtituit, rebelles intra limites coercuit. Res erat ſummum in diſcrimen deducta; cum Geyſa tantæ molis impotens quod viribus non poterat, conſiliis & aſtu perfecit: miſsâ affatim pecunia, Germanos auro inhiantes; quia præterea Rudolphus Hildebrandi facinore, brevi vindicando inescatus immineret, in ſuam ſententiam traxit: & hæc fuit noſtra, quamvis expiatione Regni parta de Cæſare victoria. Finis quoque hic impoſitus tot Regum Tragœdiæ: in quâ illud videre eſt, nec Cæſares falſo prætenſum in Hungariam jus, quamvis ſuperiores aſſequutos: nec quemquam Regum abiiſſe impunitum: & Geyſa morte naturali vitam finivit, ſine dubio quod Solomoni eam ſervaverat. Exceſſit Geyſa anno Regni tertio: in cujus affectus Deſiderius Metropolita tantopere fertur egiſſe, ut de reddendo Solomoni ſceptro cogitaret: Sed reputans & ſe privatum non ſine periculo fore, & illud hoſtis arbitrio temere committi, in retinendo perſeveravit.

CAPUT X.

Ladislaus Dux Geysæ Fratri succedit, eius bella cum Dalmatis Byzantinis, Cumanis, Polonis, & Russis, quibus confectis Varadinum erectum est.

LAdislaus nuper Ducis officio gloriose functus fratrem in Regno sequutus est: cui in honorem virtutis, & sanctimoniæ Regia dignitas ultro data est: Quamvis enim Solomone vivo prorsus abstinere voluit ad extremum recusantis modestiam pertinacia deferentium vicit. Hujus quia singulæ actiones nihil nisi pietatem proponebant, initio gubernationis, verus Dei cultus antea confusus revocatus est, avitæ leges patriæ partim obliteratæ, partim negligentius habitæ, restitutæ sunt: Comitabatur Regem divini favoris opinio, qua nullum instrumentum ad regendam multitudinem potentius est. Unde & factum ut coronam Hungariæ, quâ hodie Reges ornantur, Ladislao Principe cœlo delapsum, contra quod supra relatum est, in fabulas iret. Cum Solomone Regnum ambiente destinato annuo reditu pacem fecit: sed in exulcerato animo vindicandi regni ambitio altissime insedit: Nam colloquium Ladislai eum sub specie firmioris concordiæ apud Mosonium interfecturus expetivit.

tivit. Rex eadem quâ ſemper fortunâ ſervatus conjuratione detecta Solomonem Viſſegradi in vinculis habuit: brevi Veſtalis interceſſione quaſi divinitus monitæ ut ut jactabat, vitam & libertatem teſtularum ſuffragiis damnato conceſſurus. Poſtquam Rex cuncta in ordinem redegiſſet, ad belli artes converſus eſt. Zolomirus fatis conceſſerat, cujus Uxorem quæ Soror erat Regis odio ſexus indigenæ non tulerunt: Huic igitur Dalmatiam aſſeruit; quam ea deſtinatum vitæ terminum attingenti, una cum Croatiâ Hungariæ Regno perpetuo jure addixit. Solomon interim carcere nuper emiſſus ulciſci injurias advocato Cuteſcho Cumanorum Rege tentavit: ſed infeliciter; cum enim & causâ, quod ante certo reditu accepto juri renunciaſſet, & viribus inferior eſſet, gravem accepit cladem, & univerſus exercitus ad victoris arbitrium compoſitus eſt. Sequutum eſt bellum cum Imperatore Byzantino ſatis idoneâ noſtrum jactura geſtum: quam brevi Bulgarorum ſtrages reſarſit. Quo tempore Solomon deſperans de regno repetendo humanâ pertæſus obduxit cilicium, in ſylvis & foveis ſubterraneis victurus: cum baccis & glandibus veſceretur, paluſtri aqua ſitim levaret, incerta rerum mortalium, & fœlicitatem non niſi in morte poni docuit; ferunt ſemel Colomanni temporibus viſum; quo Regnum tenente in Sylvis

Istriæ vitam finivit. Solomone exuto Cumanorum furor nondum coerceri poterat; hi enim non nisi ter victi, ter castris exuti in ordinem redigi se passi sunt; novissimoque prælio atrocius ad Istri ripam quàm alias dimicatum est, donec Achum Cumanorum Ducem manu suâ quanquam ægre Rex confecit, & mortem Ducis sequuta est hostium inconstantia. His attritis quasi hoc tempus eversionibus populorum curreret, lacessentibus undique exteris bella ex bellis oriebantur: Roxolani Cumanos bello superiori adjuverant; quibus cum rerum gestarum memoriâ fractis, imperio ultro submisso, gratiam pacis reconciliavit. Polonia dehinc novis motibus exarsit: Boleslaus enim ex optimo pessimus suis exosus, & conspiratione quoque petitus, una cum filio in Hungariam profugit, ubi torminibus conscientię afflictus periit. Ejus ultionem fidissimi, atque familiarissimi quondam fautoris Ladislaus sumsit; inter Sauromatiæ fines congreditur, acriter fundit hostes; nec à persequendis destitit, priusquam Cracoviam caput gentis everteret. Uladislaus, is jam Boleslao fratri successerat pacem petit: quæ eâ conditione data est, ut Miesco Boleslai filius secundariâ dignitate ornetur: Conditis undique gladiis postquam omnem tempestatem subitâ serenitate discussit, Basilicam Varadiensem ad amnem Chrysum ædificavit: ea

Urbis

Urbs noſtro ævo fuit Comitatus Bihorienſis caput; multorum Regum ſepulturâ quondam & ſanctitate loci celebris; ad Septentrionem montes vineis conſiti, perpetuiſque rivulis ſcatentes; Orientem thermæ, reliquam partem planicies, & ſylvæ ambiunt. His magno ſucceſſu perpetratis Ladiſlaus vir maxime pius, unde & in Sanctos maxime ob miracula ad ſepulchrum ejus facta credulo præſentium vulgo relatus, Britannorum Gallorum, & Hiſpanorum legatos de bello in Saracenos ad Bodrogum excepit, nec ſocia arma denegavit, quamvis res ipſa effectus caruit. Mortuus eſt enim in ipſa adverſus Suatagpolugum Moravum expeditione; & tanto majus nomen reliquit, quanto poſteros in Regno ſegniores habuit.

CAPUT XI.

Ladiſlao Colomannus ſuccedit; ejus acta cum Chriſtianis terræ ſanctæ invaſoribus: Bellum cum Ruſſis, Venetis; & ſeditio cum Fratre.

LAdiſlaus prole orbus occubuit: Geyſæ filiorum Almum animo & corpore meliorem, ævo inferiorem Colomanno præpoſuit, majorem natu mira ingenii divinitate ſanguinarium vaticinatus: voluntas tamen in irritum cecidit. Nam Proceres Colomannum

num ex Polonia evocatum qui metu verborum Patrui eo concesserat in Regem coronant: sed aliter alii; quasi ab Episcopatu Varadiensi qua ratione & Konyves Kalman appellatus dignitatem meruisset: quin multi Parisiis quoque originem accersiverunt. Almus Fratrer Ducis titulum, & quadrantem regni more solito accepit. Rex creatus, uti secundæ res acutioribus animum stimulis explorant, non rectorem, & cives: sed dominationem, & servos cogitabat, Hoc temporum tractu, fame & peste grassantibus, irritati tot victoriis Turcorum; accedebant Petri Eremitæ ut ostentabat manticæ bellum adversus Saracenos paratum: idque Christiani malis fervidi per Hungariam prosequuti sunt. Sed ita vario eventu ut ante visum hostem Christiani quamvis ad extremum victores periisse viderentur. Anno nonagesimo sexto supra millesimum Gualterus Sensavir à Colomanno propositi certo exceptus est; sed brevi & commeatus justo precio exhiberi jussus: de Comitatu ad Taurunum quosdam liberius evagantes, verberibus affectos, & spoliatos accepit: cæterum Dux animo volvens belli egregium finem si contraveniri non possit ignoscendo transigi, malum omne dissimulavit. Petrus Eremita qui & extispex Gualterum subsequutus, quamvis per legatos sibi impetraverat transitum sine ullo tumultu aut scanda-

lo ire

lo ire volenti : Intellecto ad Malevillam quid sociis contigerit, protinus arma corripit, Urbem violenter effringit, quatuor millia Hungarorum cadit. Rex stragis accepto nuncio Petrum insequutus est, qui prae adventu Colomanni Belgradum, unde itinere dierum octo ad Nysiam Mysiae superioris evasit : sed partim in itinere, partim virtute Soldani Niciae praefecti quadraginta millium exercitu amisso, vi, & incogitantiâ plus perdidit:quam omni moderatione componere potuisset. Nec Godeschalchus Praesbiter foelicius iter auspicatus est : cum enim Hungariam ingresso venalia ex mandato Regio affatim exhiberentur, saevire affluentia caepit ; prae copiâ miles ebrietati vacare, passim grassari, neglectis hospitalitatis legibus non intermisit. Rex primoribus, populoque armatis ferro poenas sumpturus Belgradum progreditur : nec Godeschalcus certamen detrectat : ad ultimum initio ambiguo, fine tristiori postquam quantâ pervicacia in hostes, tanta beneficentiâ in subditos, & religionis consortes utendum, modo in excursores animadvertatur Colomannus insidiosâ civilitate simulasset, pacem expetit; nec pars abnuit. Male tamen rebus eorum fortuna consuluit: quod honesta à deterioribus, utilia à noxiis nec prudentiâ, nec nupero suorum casu discernentes, fidei plus justo tribuerunt. Nam se armis unâ,
&

& omni ſubſtantiâ imperio ſponte dedide-runt: & Rex perfidiâ pluſquam Punicâ nihil verentes aggreſſus, late cæcidit, non cladis nuncium ſuperſtitem ſervavit. Reliqui ſocii, actorum inſcii, ad Meersburgum Danubio, Lyntace. & paludibus ſeptum, anguſtias præ ſe clauſas quaſi attoniti contractus nimirum gnari mirantur: id quod agebatur ex mandato regio, ne perfidiæ pœnas luat. Miſſi ex more legati: ſed quid gratiæ cum tremente, adhuc dum furoris impotente inire poſſis? Placuit igitur Meersburgum obſidere: & hoc tempore quidem ſeptingenti ex Hungaris interfecti: quod ſupereſt cum oppidanorum res in maximo verſarentur diſcrimine, panico quodam terrore hoſtes perculſi ſunt; plurimi tum ex iis internecione deleti, reliquis fuga ſalutem operata eſt. At Gothofredo Bulinæo de legionibus perditis ſollicito paulo melius res ceſſit: nam per Gothofredum de Aſcha cladis illatæ rationibus tranſactis, voluntatis conſcium facile in ſuam ſententiam traxit Hungarum, quem & pace percuſſa ad caſtrum Ciperon convenit, Duci porro Balduinus frater in obſidem datus commentu large exercitui erogato ad Malevillam in ripa Savi reſtitutus eſt. Qui Dux magnis dehinc rebus geſtis Hieroſolymorum Rex deſignatus eſt; coronam recuſavit, profeſſus Dominum ſuum ſpineto ibi ſerto per contumeliam illuſum. Bonfinius

ſecus

secus narrat, quasi capto Zemlino ferro viam Dux sibi aperuisset, cui Colomannus impar ad ultimum assensus est: verum nos Gulielmum Tyrium Archiepiscopum scriptorem ejus temporis, in his à nostris scriptoribus prætermissis sequuti sumus. Dehinc dissensio inter Regem; & Fratem incepto cum periculo, peracto cum præmio sceleri occasionem dedit? Pars Regni adhærebat Regi, pars Ducem amplectebatur: consistunt duo exercitus prope Tibiscum ad oppidum Varkon, ubi induciis contractis eventum belli ita terminant, ut misso in compendium bello plures mortis periculo eripiantur, dum illi pauci se exponunt, & singulare Fratrum certamen mos tunc satis creber in Martiali populo erat litem dirimat: quod Colomanno satis invisum, fecit ut ab armis utrinque discederetur. Rex postmodum sola vincendi cupiditate in Russos movit: ii quamvis Meriodem Cumanorum Ducem belli socium jam asciverant: prima fronte perterriti congregant vires, Colomannumque sternunt. Malis Rex lenitus ad pacis artes animum appulit, & fœdus cum Venetis icit. Jamque Regem belli, jam grassationis occasio nondum dissimulatio deserebat: Jadrenses enim pollicitis oneratos, non satis ingenue deflexit ad se. Ordephalus Phaledrus nomine Venetorum in Dalmatiâ Præfectus de fide violatâ agebat: cui Colomannus

nus proprium Jadrensium instinctum non sine risu omnium opposuit: hinc bellum. Ordephalus quamvis cruenter Jadrâ ad extremum potitur, Sicum occupat, in Chroatiam usque pertingit. Rex assumptis in belli societatem Valerianis populis Noricorum, qui hodie Styriorum nomine notiores (Rufus & Volateranus Chroatiam ita dici volunt) ad Colapim pergit: maritimam Dalmatiæ oram populatur, cum Ordephalo manus conserit, vincit; occupata in fidem recipit. Inde inturbidum exteris Regnum, sed ut eo gravius interna ardescant: discordiâ Fratrum duabus factionibus Hungariâ distinebatur. Almus bis suspectus, bis externa auxilia impetravit: novissimè per Henricum quintum restitutus gliscente seditione, cùm Rex fortunâ laxâ diffudisset spiritus qui maximè comprimendi erant, nullo auditus in judicio, una cũ filio Bela occœcatus est. Hinc factiones Primorum, odium Regis, & clandestinæ in eum seditiones; quas Anno Regni Vigesimo quinto subitâ morte prævertit.

CAPUT XII.

Stephani initium lætum: Cum Polonis, Russis, & Byzantinis bellum; & fine Regni crudelitas.

COlomannus Stephanum filium propter exutam

exutam inter crebra supplicia sanguinis humani reverentiam Fulmen appellatum, tutoribus, & præsidiis munivit. Hic ab Optimatibus spectatæ virtutis, & singularis modestiæ rectus, quantum prætulit magnitudinem & claritatem, tantum suæ tutelæ permissus à valore pristino, & gloriâ descivit. A morte Patris anno nono. consideraturus Provincias obivit, cunctorum favorem, & benevolentiam venatus. Roberti Guischardi, qui in Apuliâ & Siciliâ res tenebat, filiâ in Uxorem ductâ movit bellum in Russos. fugerat ad Polonos Patrui Uladomiri insidias vitans Jaroslaus, aliis Bezes, quem restituere laboravit: Sed quia Jaroslaus equo excussus ex vulnere obiit, cum causa belli,] quamvis ægre memore paternæ cædis Stephano bellum quoque ipsum intercidit. Sumpta hinc arma in Bohemos, ubi primo impetu fusus reparat exercitum, Bohemosque cædit; & deprehenso Soltha impostore. qui utraque parte incitatâ malorum auctor fuit, pax redintegratur. Indi Bulgariam, Macedoniam, & Græciam vastavit; Belgrado capto exerutis funditus lapidibus Zeugminum excitavit: causa erat Phyrisca divi Ladislai filia Byzantinis historicis Eirene dicta durius ab Imperatore tractatata; sed alia alii, quasi Almum Patruum in Thraciam relegatum jure affinitatis honorifice Imperator excepisset,

piſſet, idque Stephanum momordiſſet. Principem Byzantinum quamvis ſubdubie Manulem Bonfinius ſcribit: (a) Calo Johannem porro ejus Patrem fuiſſe fide digniores tradunt. Is imparatus ab idoneo milite Philippopoli ſe tenuit, inſtructior Francochorium vaſtavit: navali prælio pugnam expertus immiſſo igne Græco, qui à Gallinico Mathematico imperante Conſtantino quarto inventus Saracenorum claſſem perufferat, rudes Pannonum biremes perdidit, Akusen, & Keladen viros id ævi celebres comprehendit, Chramo & Braniczoba captis maximam prædam egit. Sequenti prælio melius dimicatum eſt: Redeunte quippe Imperatore & hoſtes ad futura relicti ceſſerunt, & Braniczoba recuperata eſt; Johannes captivitate acceptâ ad liberandam Braniczobam omni ductus animo, verſus Iſtrum properat: Sed cum hyeme, & penuriâ rerum fatigatum Stephanus ita obruit, ut rebus ſuis diffiſus per impedita, ac prærupta paſſim palans referret ſigna. Nec per hoc Hungari deſiſtunt cœptis, quaſi ſatis ſit finibus expuliſſe: Quin cedentem ad locum cui nomen Mala Scala perſequuti caſtris exuerunt. Bonfinius ſecus narrat, quaſi ſecundo hoc prælio Stephanus ad Caraſſum amnem victus ad Boroncum pacem imploraſſet: ſed ex Cinnami, qui rebus inteifuit, alias in nos lividi fide

(a) *Nicetas, Cinnamus.*

fide hæc relata sunt. Sequutum est bellum Polonicum: Jaroslaus Haliciensium Dux à suis ejectus ad Polonos profugerat: eum Boleslaus tertius reduxit. Boleslao Stephanus à Russis evocatus in Halicia occurrit. Polonorum novissimo agmini se jungit: paratâ humanis ingeniis fictione amicitiam vultu præfert, & circumdatos Polonos ita trucidat, ut Boleslaus alias fœlicissimus prosperorum memoriam obliteraret. Rex quum crudelitatem foris fatigasset, in domesticos conuersus est, & socors domi otio dante vitia ignaviam sævitiâ texit: Hinc prout ad Regis animum, fortunam, & exemplum aula componitur, accusatorum sævior in dies, ac infestior vis sine levamento serpebat. Ut quis in adulationem compositus, ita validus fuit ad amicitiam Regis? ipse ubi semel honestatis limites transiit, in Proceres cædibus, in omnes crudelitate, tentatâ & matronarum pudicitiâ, grassatus est. Ad extremum represso Thataro, qui Cumanorum Dux erat, duodevicesimo Regni anno conscientiâ factorum territus, ut præteritæ sævitiæ infamiam elueret in Monasterium secessit: multis tamen optasse saltem Monasticam vitam scriptum est,

CAPUT

CAPUT XIII.

Bela Patruus Stephano succedit: ejus pacis artes, simultas cum Boricho, & ex desidiâ profluens vitium.

STephanus prole destitutus Belam Patruum Byzantium nuper profugum in spem Regni erexit singulari rerum humanarum inconstantiâ: dum Colomanni crudelitatis pœnas laturi progenies intercidit; & Fratri ejus post excœcationem relegato, dum ultimum periculum trepidus manet regni fit accessio. Helenam Uri filiam, erat hic Augustalis Comes, in conjugium impetravit: ex qua illi Geysa; Ladislaus, Stephanus, & Almus filii. Bela flammis & igne jactatus; adverso prosperoque casu insignis quieti operam dedit: abstinentiæ & ęquitatis multa dedit indicia, cum & pati suos: & humana contemnere doceret. Nec tamen Viro nævi defuerunt: Imperio enim admotus frequenti ad A ad oppidum conventu quasi non ipse cædem illaturus, ita in affectus hominum egit; ut in excæcati Regis auctores crudeliter animadverteretur. Hanc sævitiam texerat quidem coram suis: cæterum oppressorum filii Borichum filium Colomanni adulterinum ad Regnum capessendum sollicitarunt: qui sub specie transfugas juvandi domi-

dominationem sibi acquirere non intermisit. Polonorum & Ruthenorum quorundam ad-erant copiæ; horum ab equitatu firmus ad Sajum scenicus, & imaginarius Rex perve-nit. Flumen duos exercitus dividebat, cum Budus quidam Borichi natalibus apud ho-stes expositis; Polonos, & Russos abstra-xit, corvumque hiantem delusit; Ut falsum festinatione, & incertis valescens: visu & mora evanesceret ille porro aris, socisque extorris pessime tractatus salvando sibi, & quærendæ opi ad Emanuelem confugit. His exactis animum Belæ quieti, & ocio deli-ctorum fomentis deditum excepere volupta-tes: adulatorum sequutus consilia duos Regni Principes Pochum, & Saulem medio hostis vitâ privavit: temulentus in pro-missis liberalis fuit, quæ crapulâ exeun-te pudore victo nullus retractandi mo-dus.

CAPUT XIV.

Geysa succedit Patri: cui multa cum Germanis, Cumanis, & Emanuele bella.

A Morte Patris Geysa regnum ultro peti-vit. Is prima pro subditis arma corripuit: nam Henricus Dux Austriæ Saxonum, & Noricorum fretus viribus, accedebant Conradi

Conradi Imperatoris turmæ, bellum molitus est, Juliani Comitis opera usus Posonium cepit. Hunc tamen quamvis & superbiâ inflatum, & primo prælio fortiter vincentem sustinuit. Cum enim sequenti conflictu non spe victoriæ aut salutis, sed in mortis ultionem pugnaret, cæsis septem millibus Germanorum in totum hostes castris exuit. Tum pro sociis: Lodomerius Cumanorum fretus auxiliis Minoslaum Regem Russorum, ejus filia in matrimonio Geysæ erat, ejicere tentavit! Movit Rex subsidio venturus: & quamvis hinc à Russis, inde Cumanis infestatus multos suorum amisisset, Minoslaum restituit. Sequitur bellum Dalmaticum; unum quidem nomine, sed cladium atrocitate varium: Affectabat Manuel falsâ prætensione Dalmatiam, & postquam nec jure, nec pollicitationibus obtinere potuit, armis ad se pertraxit. Rasum castellum profectus, primo adventu cepit. & ei circumjectam terram expilavit: Hungari Dalmatis Ladislai ope sociis suppetias misere; nec Imperator sibi deest, qui per Longomeriam traducta cohorte ad Drinam flumen Boszenses, & Servios dividens venit: & regionem tam pessime habuit, ut omne ejus nomen ad internecionem videbatur venturum. Gener Archizupani Serviæ, fuit hic ambobus captus: oculis res Dalmatarum in periculum adductas primus est questus: interveniunt Hunga-

Hungari primipilares Manuelis cædunt, sed dum inconsultius victoriam persequuntur, ad Strymonem, & Taranum recedere coguntur. Archizupanus majora subsidia præstolatus, cunctatione distrahendum hostem judicavit; prælio non immisso, donec delecti Hungarorum cum Bessis adessent. Qui tamen universi, quamvis acie primá victores vim hostium non sustinuerunt: Nam ad extremum jam fessos, & languidos præsentia Imperatoris oppressit. Hinc exitium nos, hostes victoria comitata est; quæ postqnam Archizupanus malo domitus, quod pertinaciter primo abnúerat, tributo gratiam exorauit Dalmatiam Manueli asseruit. Imperator nec dum satur, non jam quasi alienum cepisset; sed sibi debito Hungari subvenissent alterum movit bellum: Zeugminum acriter se tuens multo labore cepit, Francochoria pessime tractatâ omnem ætatem incaptivavit. Aberat id temporis Geysa cum Russis bellum miscens: Lodomerus enim secundum Minoslaum adortus, secundum à Geysa vinci, regnoque expelli debuit. Hungari tamen pressi bello, cum metuentibus nulla esset quies, desperabundi medio Belosis Mapani Johannem Cantacuzenum adoriuntur; vincunt: & nihil morati dum recens terror esset, fugientem insequuti sunt: ne porro virtus in contumaciam verteretur, quia Imperator citatus fereba-

tur retrocedunr; nec cedentes persequutus Manuel de futuris cautus. Braniczobã quamvis regressus Boriczam versus Temesum mittit: is cuncta depopulatus tres Hungarorum Phalanges cecidit: eo acrius adversa pars instat; sed non amplius profectum est, quam ut ille nocturna fuga præ facibus, quæ frequentes cura Imperatoris accensæ erant, se suosque eriperet. Ita varie belli alea consumptis undique de pace convenit: sed minus firmâ: Geysa enim Syrmii indolens cladibus occasione mercatorum qui direpti erant, transistrianas civitates aggreditur, vertit: mala nuper illata pensat. Cum nec Manuel remitteret quicquam, & pars minus honorata aversaretur pacta; ter initum fœdus, ter ruptum, & excursionibus fractum distorsit partes: novissimâ vero tempestate quamvis Geysa jure cecidisset plus in fortunâ quam in causa fuit. Andronicus enim Ducatum Nęssi, & Braniczobæ quibus præerat Geysæ promisit, modo Imperatorem agnatum aggressuri partes tueri velit: ita quamvis Andronicus astu pellectus jam carcere stringeretur, ex stipulatu Urbes fatigantur; loca ad Belgradum usque victori reducta. Manuel quia viribus diffidebat Smeles civitatem Hungaros lacessiturus munivit: Basilius Zinzilnces trans Istrum amandatus, primâ pugnâ vicit: sed dum incautius fertur, desperatione hostium in virtutem

tutem versâ Stephano Regis filio tergum dedit; & quamvis Cantacuzenus à milite validus se explicaverat fœdus repetitur. Bonfinius Stephano jam injecto Dalmatiam ereptam scribit: Cinnamus primum Geysa; quem nos sequuti sumus. Hoc tractu temporum discussis odiis Conradus in Saracenos bellum movit; Ludovicus Francus continuavit, per Hungariam uterque; quod perfidiâ Manuelis, in Occidentem obliqui adversum fuit. In hujus castris Borichus latens, fugâ frustra tentatâ à Stabuli Præfecto cæsus est: Geysa quoque brevi expiravit Annis Christi sexaginta supra undecies centum, Regni Regis viginti exactis.

CAPUT XV.

Stephanus Geysæ filius Regnum auspicatur: ejus bella cum Venetis, Patruis, & Manuele.

STephanus Geysę filius pacatum auspicatus est Regnum; cui & triennii immunitatem concessit: nihil melius docens quam ut bellis exhausti respirarent cives, & favor Regni varie pendentis conciliari posset. Primus motus cœpit à Venetis: Adrianus Pontifex præ cæteris Venetorum, Istriæ, & Liburniæ Ecclesiis Gradensio Episcopo summum nomen tribuit: contra eum Ulricus

Aquilejæ Patriarcha, uti novandi ſtudium perpetua contentionum cauſa, expugnatis Stephani auxiliis movit: Gradenſe oppidum obſedit: ſed incautius rem gerens, & ipſe à Venetis comprehenſus, & ſeptingenti ex Hungaris cæſi: Hinc bellum! Emanuel Stephani fit ſocius, iſque Dalmatiam qua Venetis parebat valde afflixit; Rex Jadram ultro manus dantem cepit, brevi à Vitali Duce quamvis primo impetu percuſſo viciſſim ejiciendus: hic enim non ante finem fecit cædibus, quam Jadram expugnatam demoliretur, in Chroatiam pertingeret. Nec nos reſiſtimus, civilibus malis impediti; quibus poſtquam decora, & ornamenta Regni cauſam præbuerunt; fœda, & infecta tempora ſpectabilium quorumque funeribus inſignita ſunt. Ladiſlaus; & Stephanus de invadendo Regno conſilium inierunt: jam Regi ſuſpecta Patruorum fides, & Patruis inviſa Regis potentia; dumque pars partis metu tenetur, ſingulos ad arma concitarunt ſubditos. Illi fratris filio impares Manuelis gratiam venati ſunt: & is quaſi fortunam Regiæ ſtirpis revereretur, occultum Hungariam occupandi propoſitum inivit. Id porro quo cautius fieret Iſaci Sebaſtocratoris filiam, cognata erat hæc Imperatoris Stephano in matrimonium dedit, unde in eum Hungarorum odium tanto gravius erat. Et qnamvis Ladiſlaus cœlibatu id perfeciſſet, ut revocatus

vocatus Ducis nomen mereretur, in ipsa pace belli jura cogitavit: Simultatum quippe veteres offensas fovens, modo largitionibus, & luxu; sæpius animi sagacitate, & virtute, haud minus noxiis quoties parando Regno finguntur, animos procerum ad se pellexit. Cæterum quia dolus intervalla scelerum poscebat, initio latens, coronam surripuit, Regiam dignitatem usurpavit: & hic quidem quia læto excipiebatur animo à plebe novitatis avidâ, Stephano Fratri Ducatum assignavit: Verus Rex in latebris passim delituit, & perterritus, saniori consilio eventum præstolatus est. Accidit Ladislao, quod cæteris per vim, & fraudes Regibus, ut non diu potestate gauderet: nam conscientiâ factorum territus, multi & ætatem causarunt, quintum modo regni mensem, nec interea tranquillus attigit. Stephano Fratri quem factio suffecerat quamvis primas dominandi spes ingresso ut sunt res humanæ adfuere studia, & ministri: gravis esse subjectis cæpit: rarum enim ut melius quis imperium administret, quam usurpavit; ejusque insolentiâ populus discors agebat. Quæ contentio in verum Regem tot malis pressum, ob furtivam vitam gratiorem flexit gentis animum: quem nec interim fidis destitutum pristinæ sedi redderent. Scissa hinc in partes Hungaria, propriâ laborans stultitiâ suum ipsa sanguinem perditum ibat. Ste-

phanus Fratris filio impar, evitato periculo ad Istrum, inde Sardicam effugit: Manuelem Regni fame deceptum, quod per hunc sibi obstringendum putarat, expedito Alexio Contostephano, brevi Næssi adfuturum in suam sententiam traxit. Postquam Imperator Desi Dendræ Præfecto (huic Serviam tradiderat) quamvis Hungarorum instinctu bis rebelli, bis nova molienti, loco tabernaculi, Vallo & fossa cinctis sub specie pacis leges servitutis imposuit; Belgradum pervenit. Pannoniam crudeliter habuit: Sed frustra: nam neque Stephannm restituit; & ipse fugienti similis, bellum sine ratione inchoatum, ad tempus deposuit. Obscura quidem erant expeditionis initia, sed impudenti prætextu propellebantur, quasi Hungaria ad Orientem pertineret; quo cupito Stephani ope potiri nequivit; Belam ergo filiâ Mariâ desponsa, Alexii Despothæ nomine auctum; in genus, & familiam assumsit. Stephanus tamen quamvis ob nullam dissessionis causam desprererare debebat; inquietare verius, quam recuperare Regnum facto per Anchialum itinere satagebat: Nec Imperator deest qui Belæ fundum turbari prætenso, Savum transmisit; Titelyo, Petrico emensis ad Pogacsim matricem Syrmiorum urbem consedit. Rex Stephanus discrimen impendens, Germanorum (pacem cum his percusserat) Bohemorum, Tauro Scytharum

Scytharumque auxilio avertit. Nam hostis incerta belli, tot copiarum apparitionem formidans, quod si maximum jure inferior: Hungarum blande oppugnare aggressus est: cui prece victo per Uladislaum Bohemiæ Regem persuasit, ut Syrmium Patruo concederet; is porro Hungaria abstineret. Male tamen hujus ingenio natura consuluit, non futuræ, aut præsentis; sed ante actæ dignitatis memori: sua enim dextera aut ultionem parere voluit malorum, aut finem. Sollicitatus Manueli, Pannoniâ manus abstineret; de petendâ quidem seu furoris, sive erroris veniâ in præsens cogitavit: quod reliquum inconsulti caloris impotens, incendium ruina sua restincturum minatus est. Manuel retrogressus, obstinato illi Nicephorum Caluphen adjunxit; non ipse fœdus rupturus, sed aliorum opera bellum quæsiturus. Stephano plerique optimis consiliis suadebant; fidem Regis, quam vires tentaret: contra ille contumax; spretis quæ tarda, cum exitio sui ad Regnum properavit. A Pannonia primo impetu fortiter rejectus est, & extremo certamine unâ cum Imperatoriis auxiliis qui Michaele Gabrâ, & Josepho Bryennio Ducibus aderant Syrmio vastatus est toto: Ipse Manuel quia societatis consors erat, parte Dalmatiæ privatus est. Nec diu hostis Stephanus superstetit: Nam, Hungari sequuti rebellis partes, tot malis victi,

adulationibus rem gerunt: occulto ſceleri ſolemnis officii præ lato titulo, eum veneno propinato intercipiunt; & bellum civile ubi ſatis ſævitum eſt intercidit. Unâ diſſidentiâ reſtinctâ, altera eſt accenſa; Imperator enim quaſi in Stephanum proclivis, revera urgente prædâ Sardicam venit, ad Chramum trajecturus Iſtrum: hic repreſſus; Belgradum movit, & Zeugminum obſedit! Gregorius ei Præfectus properæ Regis præſentiæ confiſus, pertinaciter hoſtem tolerat: ad ultimum cum nulla ſuppetiarum ſpes, victus malis, cum timeret, ne vi capto nulla apud victorem venia eſſet ſe ſe dedidit, Pax cum Imperatore inita eſt, ut Stephanus Dalmatiam, & Syrmium reſtituat: quæ poſtmodum Belæ in hæreditatem aſſignata. Non tamen diuturna: excurſionibus enim corrupto fœdere Dionyſium quendam ad ſyrmium oppugnandum Stephanus mittit: is Gabram, & Bryennium Duces Imperatoris fugat, obvia rapit: ſed unâ obtentæ victoriæ opinione, ſe & exercitum cladi reddidit opportunum: Cum enim Manuel Valachorum ope è vicinia Ponti, per Leonem Bataczen: aliunde Andronicum Lampardum Hungariam compilaſſet: Dionyſius ordinibus deſertis fugientes conſectatus cæſus eſt, & omnis ætas in ſervitutem tracta. Ita telis paribus utrinque exceptis firmam componunt pacem; & stephanus brevi vivus

eſſe

esse desiit. Hæc prolixius persequuti sumus; conqueruntur enim Hungarorum scriptores, se Stephani acta ignorare.

CAPUT XVI.

Bela Stephanum in Regno excipiens; Dalmatiam, & Syrmium ad Hungariam reduxit: pacis ejus studia, & bellum cum Polonis propter Haliciam.

ARctiori dehinc Manuel, & Hungari nexu ligati sunt, Bela genero idem frater Stephani in Regem optato. Imperator Sardicæ conventus accepit conditionem, qui Belam turgide pro dignitate & amplitudine ornatum deferendum in Hungariam jussit. Fausta, & Hilaris ut fit ad nova Regna, exclamatio Regis fuit; maxime quod tantum pacis novæ gaudium incesserat, ut vix sedati tumultus fidem caperent? Quam promovit accessio Regni; Dalmatiam enim, & syrmium in propriũ corpus ab integro reduxit. Quum in illa Jadram incolarum nutu sibi restitutam ita munivit ut sæpe irritus labor in ea tentandâ Venetorum fuerit. Imperium bello perpete, & diffidiis flaccescens, dum exhausti speciem præfert in unum corpus redegit. Populum in census relatum ad ra-

tionem compositum, secundum ordines, & municipia digessit: tantum Græco ingenio facturus, ut populus unius quasi Urbis imperio regi videretur! Studiose præterea annixus augendæ Majestati, cum ante confuso more Reges adirentur, supplicem libellum decreto sancivit. Quibus dum invigilat, gravis interim tempestas exorta: Casimirus Poloniæ Rex Halicienses domans, Micislaum sororis suæ filium expulsum ab indigenis, restituit: Hoc veneno enecto Andreas Belæ filius multâ petitione victus Haliciam occupavit. Uladomirus qui Micislao inferior ad Hungaros confugerat, impatienter tulit Belam sibi, non clienti vicisse: & seditiosus per fraudem carceri mancipatus est. Illo elapsus nuper hostis Casimiri Poloni clementiam imploravit, & Haliciam Hungaris eripuit: irritatus Bela fines Polonorum invadit, vicissimque à Polonis lacessitur. Sed id bellum, quia partibus invitis ortum erat, maturatis primum induciis suspensum: mox firma pace Uladomiri Regno firmato compositum est. Rex dehinc loca ad Nysum, & Braniczobam incolarum defectione discordia gravissime coercuit: Cum enim Isaçò Angelo, Constantinopolitano Principi homini alias vano & sacrilego filiam in matrimonium dedisset; summâ ope incubuit Soceri, Generique societatem tueri ut possit. Qui & post Zupanum Serviorum percussum, liberali

liberali hoſpitio à Rege exceptus eſt. Annis decem & ſeptem Bela Regnum tenuit; pacis artibus maxime laudatus: unde illud florentiſſimum Emerico filio reliquit.

CAPUT XVII.

Emericus pacis ſtudioſus Dalmatiam amittit: Andream fratrem, una cum ſociis clementiâ componit: Ladiſlaum filium relinquit, & ipſum brevi mortuum.

HIc Patri ſuppar, & à bellis vel uſque ad ſocordiam alienus, Venetorum impetum initio ſenſit: qui ſemel in perpetuum ſibi ereptam Dalmatiam, nec ex gentis dignitate, nec é re communi eſſe ducebant. Et cum reducendæ ſollicitudine varie caperentur, cœptis oppottunitas ultro adfuit. Balduinus Flandriæ Comes, & Bonifacius Montisferrati Marchio per Venetias novam expeditionem in Syriam navali itinere profeſſi ſunt: qui mutuæ operæ indigni facile pertracti ſunt, ut terreſtres vires maritimus Venetorum ſociarent; & Dalmatiam aſſerturis adeſſent. Jadram validiſſimo Hungarorum præſidio munitam, diuturna oppugnatione perdomant; contempto Innocentii fulmine, cujus conſilio bellum in Syriam Hungarus transferre moliebatur; & Jadram

pars maritima Dalmatiæ ſequuta eſt. Quo quidem tempore quid mirum eſt eam ceſſiſſe? cum is ingrueret hoſtis, cujus ferocia an virtus, nec impunita ſub jugum orientem miſit. Fœlicius malum civile Emericus pacavit: Andreas enim Regni habenis inhians, cum majorem Nobilium partem ad ſe pertraxiſſet, nec in arenam deſcendere ſatis tutum videretur; Rex ambiguus pudoris, & metus, plura in moderatione quam in vi repoſuit: Caput corona adornavit; cujus Majeſtas innatâ genti ſuperſtitione adeo Procerum animos alteravit, ut ſinguli conditis gladiis delicti veniam poſcerent. Et hos magis conſiliis unius hominis, qnam armis victos; nullis cæſis, raro exemplo ſatis ſingulos clementiâ compoſuit. Anno Regni octavo exceſſit, & Ladiſlaus ejus nominis tertius regnare cœpit: qui primis ſtudiis paci addictis, cum Regnum ſtabilire, antiquata revocare, inordinata digere cogitaret: adverſis fatis ſexto Regni menſe vivus eſſe deſiit.

CAPUT XVIII.

Andreas Rex hieroſolymam expedit: unde reverſus Uxorem ſuam, jure à Bancbano cæſam pronunciat.

CLaudente vitam Ladiſlao Andreæ ſecundo nuper motuum cauſæ, in præmium virtutis

virtutis Regnum ultro datum est. Is Christianorum indolens cladibus, Dux Saracenicæ expeditionis ivit in terram sanctam; nec magnam itineris partem dum emensus erat, cum fatalis rumor accinctum horrore quodam perculit. Frater Reginę, adolescens lasciviæ, & voluptatibus servus; sororem visum in Hungariam venit: hæc porro gratificatura Uxorem Bancbani ad curam Regni relicti, verecundam, ad id formosamque fœminam Juveni substravit. Bancbanus re comperta, ut erat doloris recens Reginam adiit, factum exploravit, & gladio libidinem ipsa Tyrannide graviorem ultus est. Patratâ cæde ad Bosphorum Thracium Andreæ transmissuro occurrit: unicum judicem unicum sceleris vindicem Regem poscit, Rex rarâ modestiâ postquam æquo & bono iracundiam, pietate ferociam vicit; quamvis suspecto, nec dum convicto: lite in reditum dilatâ, prorsus ut ante Regnum permisit. Transiens in Asiam Abubecrum filium Ajobi cognomine Seyfeddinum (is Saladini calamitate nostra inclyti fuit successor) castris exuit, Damiatam expugnavit: Sultanum ipsum Cajrum ubi & infœlicem exhalavit animam se recipere coegit. Nec deerat spes terram sanctam, ejus triumpho assignare; dum Christiani acie, & obsidione victores à Nilo superantur, Sultanus quippe Babylonius defossis utrimque aggeribus, cum

altius amnis intumuisset, inundationem in hostium castra derivavit. Qua de causa inedia pressi, malis obruti, liberum discessum reddita Damiatâ pacti sunt; & Andreas loco victoriæ S. Stephani & Margaritæ capita, Benedicti, Thomæ, & Bartholomæi dextras, partem virgæ Aharonis, unam hydriarum miraculo Christi celebrium in Hungariam asportavit. Hæc nostri scriptores utcunque introducta pietate protegunt: Cæterum Matheus Parisiensis, Jacobus Vitriacus, Paulus Æmylius Heroldus, & quicunque expeditionem in literas miserunt secus narrant! Quasi non ultra Jordanem Andreas processisset; in qua ter ablutus religione se solutum putasset, & reditum cum copiis maturasset? Johannes porro Brennæ Comes qui & Rex Hyerosolymorum; novis peregrinantium ab auxilis firmus; commemorata statim in Ægyipto passus esset. Redire quidem certum erat Regi: sed supina Pelagii incogitantiâ mota ulterius castra: Hic enim fulmine refractarios icens Coradino deprecanti bellum justo minus tribuit. Reversus Rex Andreas inquisita serio, & cognita causa; quamvis posteritas hujus inconsulti caloris pœnas necessariis Reginæ dedit; Gertrudam Uxorem jure à Bancbano cæsam pronunciavit: tanto sui moderatior, quanto justitiæ pertinacior. Reliquum vitæ conciliatâ pace, Venetorum injuriis oblivione contritis;

contritis; tranqeillitati & condendis legibus addicavit: Libertatem infractam Regno restituit, datâ Regnicolis facultate ad resistendum Regi, statutioni suæ vel prædecessorum volenti contravenire. Ex Gertrude filios suscepit Belam, Colomannum, & Andream; Elizabetham præterea filiam; ob pietatem insignem, & vitæ ad miraculum usque sanctimoniam non reticendam? Nupserat Ludovico Cattorum Landgravio; & cum Vir ejus in terrâ sanctâ exspirasset, ad secundas nuptias nec quicquam persuasus, in Monasterium se conclusit ubi & ipsa, virum sequuta vitâ cessio, Gregorius nonus in divas eam retulit, anno à morte quinto: Consecrationi cum Europæ primoribus Fridericus Imperator adfuit; & religione moti duodecies centena millia hominum Marpurgum confluxerunt.

CAPUT XIX.

Bela Andreæ successor, Cumanos infælici exitu suscipit; Hungariam Tatari evertunt: quibus Regno egressis Bela redit; Fridericum vincit, rursumque ab Otthocaro vincitur.

EXpulso Daniele Russo, Colomannus Haliciæ, & Lodomeriæ gubernacula sumsit.

sumsit. Bela porro ejus nominis quartus Rex Hungariæ consalutatus est. Hunc dum pacis artibus studet; bella, & scissiones in ordinem redigere tentat: securum plane, nec quicquam verentem fortuna destituit. Tatari quippe gens, quæ rapinis vivere asueta, pauperiem tantum vicinis inferre nata; tam justa & clemens domi, quam immanis foris; ipsa inopiâ, & fugacitate invicta est, scelerum mundi ultores emerserunt. Hi quondam cum Turcis eadem natio fuere; & iisdem Principibus paruerunt; usque ad famosum apud suos Oguz Chanem; à quo originem Osmanidæ ducunt. Is filios reliquit Kajud Chanem, & Gokelp Chanem: qui cum convenire inter se non possent; factum est, ut ille Tatarorum, hic Turcorum imperium sumeret. Tatari à tribu sua plerumque ad populandum à Zingis Chane emissâ dicti: alii id nomen à Tataro fluvio, cujus incolæ su Mongli, hodie saltem ignoto deducunt? Nec desunt, qui vocem Syriacam volunt esse, eamque residuos significare; quasi quibus decem tribus nomen dedissent: quod quamvis ex parte non inficiamur, conscii circumcisionem ante Muhammedem Tataris frequentatam, in totum non admittimus: partim quia quæ putantur tribuum Hebraicarum nomina sint vetera Scythica, cætera linguâ differentium: partim quia Izraelitæ in diversas abrepti terras licet

licet corpus idem gentis servant, varie in incertis locis dispersi sunt. Tatari ab initio discordes inter se servituti Karakythaorum obnoxii fuerunt: qui Chataidæ Laonico dicuntur, Cathaini Mario Nigro; nec tamen cum Ariani & Curtii Cathæis confundendi, quod Leunclajo visum est. Rex horum fuit mille & nonaginta post Christum annis Cun, aut Con Chan; cui Johannes quidam opilio, brevi Jaymannorum Princeps successit: Is Christianam juxta Nestorianorum opinionem professus est fidem: magni autem à suis habitus; cum in Tenduch, Argon, Tanguth, Thebeth, Kitha, Mogol imperaret: & quod summum divini favoris opinionem suis indidisset Padescha Prestigian, sive Rex Apostolicus, uti hodie Regem Christianissimum aut Catholicum dicimus appellatus est. Idem & famosus ille Johannes Presbiter, ex Æthiopiâ in Asiam transvolasse fictus: dum plerique à Lusitanis hoc nomine apud Abyssinos accepto, cogitare non possent; quomodo unus idemque in Asiâ, & Africâ regnasset. Johanni frater Unt, vel Ung; item Unadchan quod interpretor Hunnorum Regem Meikitarum Dominus, non Æthiopum ut putavit Scaliger qui ex Axumithis sive Homeritis originem ejus orsus est successit: cujus Christum abjurantis jugum excussit Zingis Chan. Quicquid enim de Indorum Rege Davido, cui hi tri-
butarii.

butarii fuissent in fabulas ivit, ex Johanne Planocarpo, Marco Paulo Veneto, & Gulielmo Rubruquis refutatur. Hic Zingis qui & Chingis in Chanem electus Karákythajorum imperium abrogavit: primo quidem impetu tanta affectus strage ut non nisi se septem evaserit; secundum lento gradu proximos quosque in societatem trahens horrendo prælio Unt canem vicit; & Tatariæ hodie ita dictæ Dominus factus est cui & Persiam cum parte Indiæ adjecit. Moriturus Zingis Chan totum orbem in filios divisit: Jochuchano, qui & Telepuga, item Toxuy Chan regionem Dest, Usbeck cum Occidente testatus est: qui quasi jam hæres Caspii maris littora pervadens, ad Sauromatas progressus est, omnes ad Tanain, & Mæotin nationes vel subjecit, vel cecidit. In Europam versus Hunnos. & Cumanos, sedibus fugitivos inauditâ cæde perculit; & deletis infinitis gentibus, cum nihil non pateret ad Hungariam usque pervenit: ubi in angustiis montium ab Olachis, & Siculis conclusus successori persequendum bellum reliquit. Alter filiorum Chalaus, qui & Cublai Chan à Jaxarte ad Indos domans omnia, Georgianam, & Armeniam superiorem pervagatus Iconium usque Turcorum Regiam pervenit; media quæque prædæ habuit: quorum metu cum Johanne Duca Byzantino Principe. Turca fœdus icit, vix tamem

vel

vel in palatio securus. Anno Christi tricesimo octavo supra duodecim secula Joecuchano succeſſit Bathuy Chan qui aliis Zayn Chan! Hoc Duce Cumani, quamvis & prioris belli pars fuerint, quo Ducæ protectioni se permiserant avitis sedibus ejecti sunt: ii terras toto orbe quærebant; & cum Rusſiâ ejusdem hostis metu excluderentur, legatos ad Belam misere, ut aliquid sibi terræ daretur: cæterum Christianam fidem recipere velint, nec tributis annuis dandis imparati. Eos Bela proposito satis glorioso, subditis tamen inconvenienti, & eventu tristiori recipit: molesti enim esse Hungaris cœperunt, qui justitiam si quid Cumani durius egiſſent denegari conquerebātur: addebatur Regius Cumanorum amor, propriorum corporum contemptus. Vix annum Cumani exegerant in Hungaria, quum rumor Tatarorū percrebuit: sed adventum odio Cumanorum, & horum causâ Regis nemo credebat. Hinc res tota in nervum erupit: Hungari Kuthenem Cumanorum Regem in tumultu cædunt, ad omnem partem Cumanos trucidant: Hi irritati villas comburunt, rusticos paſſim expugnant, ad ultimum se Tataris jungunt. Dum Duces Tatari Peta Poloniam, Moraviam, & Silesiam; Cadan Ruſſiam depopulantur, Bathuy Chan Palatinum Hungariæ suorum ope destitutum ad portas Ruſſicas percutit, Colocensem Archie-

Archiepiscopum loco paludoso opprimit; Vaciam usque cuncta terrarum expilat. Ulterius progressus Belam suorũ partim incuria, odio, partim discordia laborantem horrendo prælio delevit, Hungariâ omni ferro, & igni vacue facta, cunctas arces, castra Alba Regali, Strigonio, & Divi Martini cœnobio exceptis humno æquavit. Non supputanda cæsorum multitudo, passim totis agris cruentum solum, & prostrata corpora; neque armis modo, fumo, nebulis & veneficiis magica arte excogitatis pugnabatur, Tribus annis in Hungariâ morati sunt; infantes, mulieres, virosque in sylvis, in abditis locis, & foveis subterratis summa cum industria requisiverunt; nec pauciores adulterinis literis deceptos jugularunt; hinc pestilentia ex fœtore corporum, & fames ex vastitate agrorum. Boleslaus Pudicus cum Polonia æque ageretur in Hungariam ad Socerum profugerat: sed cum hic eadem tempestas immineret, & Slesia item Moravia jam vastarentur castello quodam se abdidit. Tatari ad extremum inædia coacti vacuum Regnum deseruerunt; & captivam multitudinem tanto intolerabilior servitus, quanto barbarius dominium sequebatur. Tentavit Innocentius quartus feram hanc gentem Christiana mansuetudine temperare, parvo cum fructu: etsi enim Bathuy Monachis inducias concessit, & Mango ab Hayto-

ne

ae ad Christi fidem persuasus est; ad extremum Tangodomiro, & Carbaganda, Regibus, visis Christianorum vitiis, Mahumetanam potius perfidiam amplexi sunt. Exeuntibus Tataris Bela quem nuper in Chroatiam & Dalmatiam procella exegerat, Crucigerum quorum larga tum ubique sedes; Equitum Ordinis Sancti Johannis, Frangepanorumque viribus, magnorum quidem tum in Illyrico, quo Româ factionibus vexatâ se receperant; magis tamen postmodum à Bela beneficiorum memori auctorum, Regnum desolatum cum quatuor filiis quos Clissiæ conservaverat recepit: & fortuna sua corruptus fienos momordit. Fridericum Austrium cunctis infestum, qui sub specie propugnationis sibi profugo thesauros extorserat, ad Novam Austriæ Urbem vicit, cæsi opes rapuit, eversam Hungariam solari incepit. Jamque colligendis suorum reliquiis operam dabat; cum bellum aliud oritur cum Præmislao Rege Bohemiæ, qui & Otthocarus dicitur ab Otthonis cultu: is Philippi Imperatoris hostis, & successor fuit: Ducta enim Friderici vidua Styriam, & Austriam non pridem occupatas repetivit. Atrox in Moravia initur prælium: quo Hungari, tam numero inferiores, quam nupero bello exhausti, victoriam hosti tradiderunt: & pacem ad extremum ita composuerunt, ut Austriam Bohemus, Styriam Hungarus capessat. CA-

CAPUT XX.

Stephanus filius Belam excipit: eius bella cum Otthocaro, & Mysiæ inferioris populis.

STephanus quintus à Patris morte fœlicē, quamvis non diuturnum Hungariæ Regem ſe geſſit: neque enim ultra biennium imperavit. Movit arma contra Otthocarum, qui nuper ingenti clade Belam proſtraverat: & quamvis primo prælio ad Diam victus eſt; ſequenti congreſſu ad Capczam ſuperavit. Inde vertit impetum in Bulgariam quæ imperata detrectabat. Hęc cum Servia Triballorum ac Dardanorum ſedes quondam fuit, vocata & Dacia Aureliana: poſtquam Divus Aurelianus abductos ex vera Dacia populos in Mœſiam collocavit; eamque ſuam Daciam appellavit. Hos Stephanus prædeceſſoribus parere ſolitos, levi labore cecidit ſubegit: Bodum caput gentis deleviſſe ſuffecit.

CAPUT XXI.

Ladiſlaus quartus Patri ſuffectus, Otthocarum, & Cumanos cadit; Leſcum Polonis reſtituit: rurſum à Tataris crudeliter habetur.

LAdiſlaus ejus nominis quartus Stephanum Patrem

Patrem ſubſeqnutus eſt; cui vix trimeſtris quies, nupero bello ſucceſſit alterum; quaſi ita in fortunâ fuiſſet, ut Bela & Stephano male habitis, tertio Regi Bohemus ſuccumberet. Moravia cauſa belli fuit, qua Otthocarus immoderatè fines proferebat; diu dubitatum eſt, quibus machinis hoſtis inſolentiæ contraveniretur, cum ultro fata panderunt viam. Proceres imperii dum ſinguli ſine capite imperant Guelphorum, & Gibellinorum factionibus varie preſſi ſunt: quibus effectum eſt ut Comitum Habſpurgi obſcurum antea & parvi penſum nomen emergeret! Quod poſtea in Germania divitiis, atque potentia auctum & à Mariæ Burgundæ nnptiis longe lateque propagatum formidabile eſſe toti terrarum orbi cœpit. Otthocari aulæ Magiſtro Rudolpho qui & Comes jam injectus Verneri Moguntini ſuaſu, cui tutum iter ad alpes præſtiterat, honores Cæſarei decreti ſunt; nec ille ſuperiorem nec hic pacem ferre poterat. Rudolphus adoptatum in filium, belli ſocium Ladiſlaum aſſumſit: nec hic deeſt, operâ ultro oblatâ, cupitis ſe potiturum credens: Otthocarum & fortiter cædunt: & Auſtriâ ejectum, intra feudum Regni Bohemici, & Moravici concludunt. Confugerat id temporis Leſcus Niger Rex Polonorum, à Conrado Maſoviæ Duce ejectus, quærendæ opi ad Regem Ladiſlaum: is impetratis ſubſidiis cum & ma-
gno

gno Hungarorum agmine, & quod summum jure certaret, rebelles fortiter debellavit. Otthocarus porro, quia vi, & metu Regno cesserat, Rudolphum nuper famulum, hodie Dominum non passus est: & impar viribus Oldamirum Ducem Cumanorum oppositurus Hungaro evocavit: quin ut fidem tanto constantiorem declararet, Kunigundam Cumanam abdicatâ Margaretha præter leges duxit. Cumanus cum quibusdam Tataris ad Hoodum lacum pervenit, urit passim, vastat, proxima quæque clades instrumentum sequentis est. Contra hunc fœliciter pugnatum est; fusus fugatus est totus exercitus. ipse Otthocarus inter auxiliares Tataros, & Cumanos peremptus crudelitati & arrogantiæ finem posuit: Regin[illegible]. Bohemorum pax concessa, ut filia Cæsaris Vencesiao Otthocari filio nubat, isque ut beneficium Cæsaris Bohemiam capessat, hoc por[illegible] prælium utcunque fœliciter depugnatum, majorum fuit malorum causa: nam Tatari, & Cumani qui effugerunt, reliquorum suppetias implorarunt? Tatari notis jam & nupero cruore velut signatis viis anno octuagesimo supra duodecim secula, in Hungariam irrumpunt: horrendam superiorum annorum stragem, usque ad campos Pesthanos renovant: obvii quique cruciatibus horrendis in sævitiam Tyranni absumebantur, alii servituti perpetuæ addicti, plurimi abscissâ corporis

corporis parte pœnæ suæ supervivebant, qui passim in viris abjecti. interdum visu, sæpe ululatibus & gemitu, conjuges liberos aut Parentes noscebant. Hinc Regnum ita oneratum est, ut ne jumenta quidem vehendis plaustris superessent: Bigæque quas homines trahebant, in odium Regis currus Ladislai vocarentur. Ipse Rex, Caroli Siciliæ Regis filiam matrimonio sibi copulavit: sed remoto pudore, & metu, indomitis libidinibus exarsit: plurimis ex Cumanis Uxoribus superinductis: Has passim stupro destinavit, compressas fœde polluit, unde & Chuni nomen accepit. Qui iidem, uti Principum amicitia non virtute quæsita fluxa est, liberaliori epulo ad Keresztszeghum exceptum. exanimarunt; non alias tot flagitiis subvenire posse credentes.

CAPUT XXII.

Andreas tertius frustra renitente Pontifice introductus, in Albertum Austriacum bellat, seditiosos sibi permittit.

POst Ladislaum Regno potitus Andreas tertius; secundi ex Marchionis Estensis filia Nepos, & Stephani filius. Bonifacius octavus Carolum Robertum duodecennem obtrudebat: erat is pronepos Caroli Andegavensis; qui Manfredum Conradi Impera-

toris; spurium impulsu Clementis quarti post irrita tot Pontificum bella Siciliâ exuit, Petro Tarraconensi & ipse luiturus. Sed gratis: Andræas enim non vi consequutus imperium, sed suorum studiis; propriâ bonitate retinuit. Is auspicaturus Regnum, ab Alberto Austriaco, Adolpho dum Cæsare comprehensus est: & sub libera custodia Viennæ detentus, non prius liber esse jussus est; quam individuam vitæ consuetudinem Agneti filiæ polliceretur. Regni habenis sumptis; affinitati renunciat: urgentibus Dynastis vi contractum esse initum, nec jure valere cui metus dederit causam. Bellum in Austriam movet varie. rem gerit; alias superior, interdum victus: donec Albertum seditio intestina pacem facere ursit. Nam Nassavium servilis operæ pertæsus, loco movere susceperat; quo cæso, nec impunitum Imperatorem se gessit. Pietate valens, & futura præsentibus periculosoria arbitratus, partibus Carolinis seu Pontificiis addictos nulla severitate Andreas coercuit: Ii igitur dissimulatione abrupta, egregios fines, qui ignoscendo transigebantur, in contemptum Regis interpretati. Mox prout varia hominum ingenia, & seditiosa, Carolum vivente dum Andrea in Hungariam traxere: sed quia Andreas ob periculum gratior magnam sibi auctoritatem constituerat, finibus prohibitus est. Eo florente; post-

postquam Veneti ob occupatam Ferrariam diris Pontificis devoti sunt, Jadrenses ejecto Michaele Mauroceno ad Hungaros defecere: Belletus Justinianus reducturus movet: sed Bani Dalmatæ machinationibus aversus pedem vel invitus retulit,

CAPUT XXIII.

Venceslaus Carolo à Pontifice introducto præponitur: qui à Patre malorum præsago in Bohemiam reductus est.

EXeunte Andrea, intestinis odiis agebantur Hungari: pars Regni Carolum pro Rege agnoscebat, pars culpam rebatur Pontificem religionis prætextu se immiscere rei ad se non pertinenti. Hunc igitur detestati Archiepiscopus Colocensis, Episcopus Varadiensis cæterique conspirationis socii, Venceslaum Bohemum Patre ejusdem nominis detrectante evocarunt: isque ad imperium accessit; mirabili casu: dum proles Otthocari Hungaris infestissimi, ab ipsis hostibus ultro petitur. Pars Carolinæ factioni addicta, auxiliis Alberti Austriaci sævis tum lacessebat Moraviam incursionibus: & quia nuperum Venceslai desiderium præsentia imminuit; ut quantam venerationem suis indidit, dum adipiscebatur clavum, majori odio postquam adeptus est haberetur, Pater de

 filio

filio in follicitudinem adductus eft. Credebat quippe variam animo gentem, recentibus adhuc fimultatibus avi, fi quid adverfitatis acciderit: fponte fua Regem deftituturum: magnis ergo itineribus in Hungariam tetendit, eique prope Pefthum in campo Rakos uti expetebatur corona ornatus occurrit filius: quem una cum diademate in Bohemiam ductum reddere recufavit. Rogatus rationem facti, refpondit; fe periculorum impendentem evitaffe tempeftatem. Hinc ira, & occultum bellum: Uladiflaus Locticus fceptro Poloniæ amotus in Hungariam ad Omedeum Palatinum fugerat: imminebatque occafionibus Regni à Venceflao recuperandi: & cum dominium hujus Polonis effet grave; Palatinus collecta Hungarorum manu, hofpitem in Poloniam mittit: qui varia caftella expugnans, quia Venceflaus brevi expiravit regnum repetivit.

CAPUT XXIV.

Ottho tertius Rex eligitur Pontificis odio: quem Vayvoda Tranfylvanus abdicavit.

BOnifacius dehinc octavus, continuus, & fævus propofito exequendo, per Nicolaum Cardinalem Oftienfem, anathemate folito

lito Pontificibus flagellò Hungaros feriit? Hinc varia hominum ingenia, varia judicia: mox furor eo processit, ut Pontificem turbatæ pacis reum peragerent, cæteris antistitibus aqua; & igni interdicerent: & ii quidem quievere ad tempus quia nocere non poterant, fervente adversa factione, exterum ultionem opportuno tempori distulerunt. Pars autem fulmine irritati Anno Christi quinto supra ter decies centum Otthoni tertio Bavariæ Duci Regnum conferunt: is Coronam summa pecuniæ flagitatam, gratis à Venceslao sumsit, & apud Albam Regiam, dignitatis insigne accepit: Corona ubique gestatâ Budam profectus, temporibus callidissime servivit, studium & favorem Regnicolarum venatus. Accidit huic quod cæteris mortalibus, ut inconsiderantior in secunda quam in adversa esset fortuna: nam Transylvaniam, necdum rimatus suorum affectus intravit, coronam lagenæ tornatili inclusam sellæ equestri alligavit: quæ in itinere decidens, fato quo superstitiose postmodum habito; prætereuntibus non visa, die sequenti quæsita, ad ipsum adducitur. Ladislaus Regni Vayvoda; seu offensus ab Otthone, sive Carolinæ favens factioni, (alii hostem fuisse Caroli scriptum reliquerunt) dolo atque insidiis quem nuper Regem sustinebat venerabatur, corripit: nec in vinculis asservatum prius libe-

rat, quam Regiæ dignitati renunciat: qui relegatus in Russiam, à vicinis cognitus, in regnum suum melioribus auspiciis reductus est. Dum hæc in Daciâ geruntur Ladislaus Vernerius captivitate Venceslai, qua oppressus tenebatur solutus, Budam capit; suorumque operâ superiorem Regni partem occupat; & quamvis non adversus Patriam, sed inimicos pacis bellum excitasse videretur; plus iræ suæ, quam utilitati communi paruit. Quandoquidem Papali auctoritati refractarios partim occidione occidit: partim Strigoniensi Archiepiscopo puniendos tradidit: & dum ita atrox præliis discors seditionibus, ipsa pace sævum est Regnum, domestico inimico causa fuit cur accederent novæ, quamvis religiosæ Pontificis diræ. Cardinalis Gentilis nuncius Apostolicus conciliatis sibi nonnullorum animis, anathema in Caroli adversarios secundum sparsit: unde cædibus Urbes sunt infectæ; Nobilitas, Episcopatus, gestique honores pro crimine habebantur: & sive virtutes, seu vitia personæ respectu certissimum fuere exitium.

CA-

CAPUT XXV.

Malis victi Hungari, Carolum Regem creant: ejus bella contra rebelles tam domesticos, quam Valachos: fœdus cum Polono; & Regni ab eodem facta extensio.

QUibus in commodis postquam superati sunt Hungari, omnium animis potestatem in unum conferri pacis interfuit. Carolum ergo ex Stephani quarti filia Maria Caroli Claudi Siciliæ Regis nepotem, & Caroli Martelli filium (quem Patrem perinde Regnum tenuisse, nec Robertum ejus fratrem sibi à sumendo temperasse auctores tradunt) in campis Pesthanis Regem creant: Et in eum simultates Procerum magnis Viri sunt emendatæ virtutibus; ut nemo Regum anteferretur pauci pares putarentur. Diademate quam nuper admodum Ladislaus reddiderat; solemniter Patre præsente coronatus est: proinde ac si alius populus, non ille ipse, qui nuper finibus arcebat; mores vertebantur. Is ne nova moliretur, nisi prioribus firmatis; Matheum Trincsiniensem qui ejus im-

 perium

perium aspernabatur, cruento ad Cassoviam prælio vicit: sed fere desperato: cum præ mille septingentis equitibus cataphractis ingens Carolinorum, inter quos erat probata veteranorum Ordinis Sancti Johannis manus gradum retro daret. Nec hic stetit conspiratio; cum dolus ingens & cruentus Vissegradi struitur: Felicianus Sakanus inter servitia Regis summum nomen adeptus fuerat diu occultum facinus; stricto ense Carolum discumbentem petit; Reginæ digitos abscindit, Rex ipse inclinatione frustratus est ictum. Terrore ergo latius dato in pueros Pædagogorum opera protectos sæviit: neque Rex evasisset; nisi sancium Prætoriani milites ab ipsa morte rapuissent. Perduellem omni posteritate deleta, ratus magna exempla magnis pœnis digna, in quatuor partes divisit: & per Regnum spectaculo transmisit. Profectionem contra Saracenos molienti Valachorum nunciatur defectio: Bello igitur adversus Bazaradum Transalpinæ Ducem moto, æquas pacis conditiones belli sumptibus repensis, annuis solutis accepit. Sed rediturus à perfida gente, in præruptis cæsus est montibus; ipse mutato habitu effugit: alii Transylvani Vayvodæ instigatu, ratione nullâ volunt susceptum esse bellum, & sceleri eventum, adscribunt, Nulla tanto Viro

hæc

hæc clades extensione Regni, & gloria rerum gestarum sepelienti: Postquam enim Roberto Apulo inter Guelphorum, & Gibellinorum factiones, ii jam in Albos, & Nigros transiverant semper Pontificem sequuto filium Andream in adoptionem dedit. Hungariæ successionem in Regno Neapolitano sancivit. Blondus Carolum ante hæc obiisse memorat, & ejus Patrem Carolum Martellum, qui Hungariam moderatus fuisset, Andream ad Robertum fratrem Johanna in Uxorem data transtulisse. Idem Carolus usum ferri candentis, aquæ fervidæ, & jurisjurandi super sepulchrum Divi Ladislai coram Capitulo Varadiensi sustulit: eamque apud exteros famam conciliavit, ut Johannem Regem Bohemiæ, Casimirum Polonię arbiter Vissegradi captus componeret; & Casimiro difflandi nominis quingenta pondo daret. Hanc ille benevolentiam Regno proprio remuneratus est: prole enim orbus successorem Carolum elegit: sed quia is prope diem decessit Ludovicus adoptatus est, ad quem Regnum Poloniæ devolveretur. Dedit & matrimonio operam: Uxores habuit Mariam Casimiri Poloniæ Ducis, Beatricem Imperatoris, Elizabetham Uladislai Poloni filias. Ex hac nati Carolus anniculus, Ladislaus quadrimus excesserunt: An-

dreas Apuliam, Ludovicus Hungariam sortiti sunt. Antiquam potentiam sub eodem Regnum recepit; nam Ramæ, Serviæ, Gall.tiæ, Salernæ, Lodomeriæ, Cumaniæ. Neapoli imperavit: longe famigeratus, nisi Ludovicum filium genuisset; quamvis id quoque gloriæ tributum sit.



LIBER

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Ludovicus Fratrem in Regno Apuliæ confirmandum implorat: Polonis subvenit, & varia bella cum Tataris Chroatis, Venetis & Tarentino Principe gerit.

LUdovicus tanto Parente non minor, & prudens rei militaris, & diligens imperii subrogatus est: contra quem post ultima Patri persoluta, ut virtus Viri eluceret bella ex bellis oriebantur. Primum enim contempto Juvene tumidæ Valachorum, & Saxonum cervices ab imposito jugo resiliebant; quos licet præ Caroli infortunio effrænatos liberalitati quamvis perdomuit, & Alexandro illorum Vayvodæ tributum imposuit. His subactis Elizabetham, Matrem singularis ejus erat sanctitas, quam tamen & superstitio auxerat in Apuliam inde Romam solemniter dimisit. Andream fratrem magno ære, quatuor nempe, & quadraginta auri marcharum millibus prout avaritia vitiorum radix

postulabat, per Pontificem in Regno Neapolitano confirmandum imploravit: ut mercati prorsus Regni infamiâ minus tamen quam venditor laboraret. Quibus confectis Casimiro Parenti adoptivo contra Lithuanos, & Johannem Bohemum suppetias tulit; quorum illos tentabant ad Christum reducere., & postquam suasionibus nihil profectum est, armis obtrudere religionem conabantur: sed ubi adversis austris nec quicquam actum est; Lithuani longe pertinaciores reperti; ut conjicere, quantum coactio verberibus non verbis facta solet operari. Hunc usque ad Craccoviam grassantem. Ducibus Nicolao Zechi & Petro Poharnick, cum & jure superaret Regno Poloniæ expulit. Sequitur bellum Taraticum: qui in Daciam irrumpentes, passim pro more cuncta, sua immanitate attriverunt: Sed Andreas Vayvoda Ladislai filius subita impressione facta, dum cominus pugnare incumbit, ne sagittæ quicquam prosint, ita eos cecidit; ut longo tempore Tartarorum nomen in Hungaria non audiretur: nihil tam insigne spectaculum fuit, quam Atlamus Tatarus Dux in acie comprehensus. Eadem fortuna contra Chroatas pugnatum; in quos ipse expeditionem sumsit adscito in belli societatem Stephano Nemano Bossenensium Principe cujus filiam Elizabetham duxerat, sed Chroatæ Ludo-
vico

vico in finibus hærenti juramentum fidelitatis præstiterunt; & secundo rebellantes medio Magistri Equitum perpacati. Magis cruentum fuit bellum Venetum: hi enim Jadram toties à se deficientem obsidebant: postquam plurimi utrinque cecidissent, Ludovicus multis suorum amissis rediit; & Jadra Venetis cessit. Dum hæc alibi geruntur nulli Tyranno comparandum facinus fuit Johannæ Reginę: hæc enim scelerata mulier Andream jam Apuliæ admotum insidiis petivit: & nuptias Tarentini Principis mariti morte pacta, reste sericea suspendit Virum, regnumque adultero tradidit. Ludovicus cujus erat fraternas injurias vindicare, rescripsit Johannę se excusanti; eam & vitâ sceleſtâ, & retento regno, & ultione prætermissâ, & nullus dum accusans defensione tentatâ ream peragi. Italiam intrat, voto adsunt Philippus Mantuanus, Malatesta Ariminensis, & plerique Principes quorum imperium præ Caroli Imperatoris socordia in Tyrannidem versum erat. Ludovicum Tarenti Principem cum Johanna Massiliam, & Avenionem pepulit: potitusque omni cis fretum Regno habita in conscios quæstione Dyrrhachii Ducem quæ Neapoli à Johanna imposita erat Aversæ loco Andreæ intercepti per publicum lictorem capite minuit: Ludovici Tarentini fratres catenis vinctos, Andreæ filium tuto-

tutorio nomine in Hungariam misit. Pacatis Regnis Stephanum Laskium Vayvodam Transylvanum imposuit; ipse in Hungariam rediit, peste tanta per Italiam; & vicina grassante ut quædam provinciç habitatoribus evacuarentur. Quia porro Neapolitani alienigenum Dominum pati noluerunt, bis orta est seditio: priori Stephanus Neapoli occlusus ultro erupuit, & tentatâ pugna rebelles partim cecidit partim reduxit, in totum fugavit: reparant hi brevi exercitum, & collatis signis quamvis Volphardus alter Ducum Hungaricæ turmæ occubuit, defatigatos prælio acriter Vayvoda vicit. Sequenti tumultu quia Johanna Avenione Urbe Clementi attributâ ejus instantiis, & subsidiis Regnum tentabat, cujus censuram subire debebat: placuit Ludocico per se bellum gerere mira. Visa est fœlicitas Regis, cum passim omnia fortunam ejus sequerentur, Barletum Canesium (sub quo ut quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur periculum vitæ subivit) Lucerium Salernum & quoti non oppida Urbes in potestatem redegit. Dispositis Præfecturis anno Jubilæo Romam venit: Avenione tum Papæ sedes erat, quare qui domi res curabat Tribunus Nicolaus Rentius vir spectata virtutis obviam cum Ordinibus venit: obtulit Regi summam rei Romanæ, sed hic renuit, is ergo urgente metu Carolum quartum sollicitavit;

citavit; qui porro vir pusilli animi eum Clementi hosti dono dedit, ab ejus successore postmodum libertati redditum. Johanna autem jam patria extorris, quod flagitiorum est merces: instantissimè Clementem augebat; vellet restitutionem sui operari ejus avaritiæ multis modis subventuræ: cujus precibus factum est, ut Ludovicus expugnatus, quia religione potentissimo ad mentes concitandas telo tenebatur, cederet Johannæ. Venetis dehinc negotium Rex facessivit: nam ut maritimam Dalmatiæ oram recuperet fœdere cum Leopoldo Austriaco, & Carrariis percusso Dalmatiam ex una Istriam, & Forojulium altera parte invadit: Tarvisium quidem per Carolum parvum diu frustra voluit; cæterum Spalatro, Sico, Tragurio splendidis arcibus tam suorum multitudinis, quam disciplina vetere, & consiliis hostes exuit: bene animatos confirmavit, alienatos quorum pars Jadrenses reduxit. Victos tandem, & supplices Venetos parte Regni, quæ à Phanatico sinu Dyrrhachium usque protenditur, & totâ Dalmatiâ mulctare placuit: quibus præsenti bello occupata restituit. Sed non diu Venetum fœdus stetit: pars in partem uti mortis est crimen conjecit: ratio autem in Dalmatiâ & Carrariis hæsit: quorum his tutelæ Ludovici permissis Veneti bellum intulerunt: ad illam recuperandam Carolum
Impe-

Imperatorem concitarunt. Contra hos Paulus Ladiſlai Vayvodæ filius primo impetu proſpere pugnavit: ſed cum ſecundum Stephanus Tranſylvanus irrationabili velocitate hoſtes invaſit, victoris fortunam ſequutus & ipſe comprehenſus eſt. Miri de hinc luſus; Ludovicus ſuorum clade ad triennales inducias à Carrario perſuaſus eſt; quibus exactis Leopoldus inſolentior à Venetis cæditur: reparat vires; ſed eum ad biennales inducias flexit Ludovicus ipſe tamen conſpiratione cum Genuenſibus inita, clam bellum paravit, cujus formidine Veneti, vel ablatorum reſtitutione pacem Leopoldo dederunt. Poſtquam ergo Veneti à Petro. Auria Genuenſi ad extrema redacti ſunt, hi ruiſum proſperis rebus elati bombardis ancipiti inſtrumento, & bellicis rebus atroci quod tum à Bertholdo Nigro inventum erat vincuntur: ad ultimum Ludovicus terra Genuenſes mari Clodiam obſeſſam cepeiunt: & feſſi utrinque cladibus pacis jura ad arbitrium Sabaudi contuleruht qui arce Tenedi belli fomite exciſa inter cætera Venetis impoſuit ut decimo quoque anno ſeptem aureorum millia Ludovico Regi penderent: & Hungarus quamvis acceptis cladibus ſumma non reſponderet, contentus rerum geſtarum gloriâ bello abſtinuit. Dum hæc in Venetis geruntur Urbanus Papa contra Johannam quod ea

Clementis

Clementis VII. antipapæ parres tueretur Ludovicum concitavit: is Carolum aliis Regis ipsius filium, aliis ex Andrea nepotem expedit; qui in Tarvisinis dimicans subitum in Hungariam iter corripit, ut octuaginta ex sociis festinatione amitteret. Sumptâ secum octo millium turmâ miro successu cùm passim Urbes venienti Victoriam acclamarent; Aretium submisit, Florentinos quadraginta millibus aureum multavit, Romæ ab Urbano regiis insignibus decoratus est. Johanna omnem salutis spem in Duce Andium reposuerat. Nupserat postremum Otthoni Brundusiensi, Ludovico Tarentino Hungari captivitate presso, & Belearium Rege quem secundo adsciverat in Hispania extincto. Is contra Johannæ studium tuebatur Urbanum in bello tamen fidem Uxori adversus Hungarum præstabat. Hungarus passim Urbes receperat; Neapolim introductus, Johannam in arcem novam inclusam obsedit. Ottho Urbem obsessorem que Uxoris obsedit: erumpente Carolo, ac prælio commisso fortitur pugnavit; tandem ruente saucio equo comprehenditur, & Johanna amissa spe deditionem fecit. Ludovicus tamen Andegavensis Rector Francus Caroli sexti Patruus, cui Clemens Apuliam & Siciliam à Johanna emptas contulerat, Provincia Phocensi quod ea in ditione Johannæ fuisset, metu, vi, malo domita, ad

triginta

triginta millia equitum (peditum numerus incertus) in Italiam traduxit; quem Carolus cum vi non posset cunctatione adeo fregit; ut illa ipsa moles sibi oneri esset, & postquam Ludovicus morbo an veneno excessit, Galli bini ternive mendicantes in patriam redirent. Ita Hungarus Apuliam Siciliamque subjecit, & Urbanum Papam magno metu liberavit. Rediens ab Italia Rex Ludovicus Bosniam, quæ non pridem à fide defecerat per Nicolanm Palatinum aggressus est: sed is Zrebernici obsidione adeo fessus est, ut parvo labore vinceretur. Inde contra Stratimirum Bulgariæ Principem melius pugnatum est; profligatus enim Gemlechii captivitate pressus est, brevi propendente Rege Regno restituendus.

CAPUT II.

Ludovicus Rex Poloniæ electus seditionem compescit; Russiam Hungariæ addicit, Lithuanos, & Transalpinos cædit, moriturus duas filias duobus Regnis præfecit.

DEficiente in Casimiro Piasti progenie Rex Polonorum coronatur, primus horum Princeps ab externis petitus: Regni administrationem Elizabethæ Matri permisit; ipse

ipſe in Pannoniam conſuetudine, & dulcedine nativi ſoli tractus rediit. Sed nec Matri longa in Poloniâ mora; quæ levis, & flexibilis amorem aliquorum non reverentiam ſingulorum ſibi debitam creaverat: pertæſa ergò novorum motuum, timida magis quam timenda in Hungariam venit; ſed cum abſolutâ potentiâ vivendum melius judicaſſet, quam alieno more facile ad revertendum permota. Interea Majoris Poloniæ quidam Proceres Uladiſlaum Ducem Cujaviæ ex Monacho Regem creant: ſed is à Sabinio aliiſque pro Ludovico nitentibus, cum & impiæ conſpirationis Præſul extitiſſet, vincitur: ad ſe miſſum perduellem Ludovicus rarâ clementiâ quâ unâ hic vinci non poterat Abbatiâ donavit priſtinæ conditioni ſatis habens reddere. Nec Ruſſi rebelles diu potentiam Regis ſuſtinuerunt: ſuperati ſunt enim & Regno Hungariæ appliciti; quibus Georgius Zudar, Emericus Bebecus, & Johannes Zapolianus impoſiti: hinc ſuſpicax Polonorum ſilentium, & ſiniſtra verba, quæ exaſperavit Uladiſlaus Opoliæ Princeps, nuper Ruſſiæ gubernator: maxima ratio Regi fuit, partim in proprium ſanguinem propenſio, partim quod antiquo jure ſub nomine Halliciæ & Lodomeriæ ad Hungariam pertinere credidiſſet. Poſtquam rebus indiſpoſitis; frequentis in Poloniam itineris Regem tæ-
deret,

deret, qui libentius in Hungariâ quâ natus erat morabatur: triumviris Zviſſæ Craccoviæ Antiſtiti, Dobcſlao ibidem caſtallano, & Sendivojo Szubinio Catiſſienſi Palatino, adminiſtrationem Poloniæ tradidit. Ipſe Laicum Tranſalpinæ Vayvodam defectione tentatâ in vicinas partes ſævientem, duabus ex partibus adortus eſt: unâ Ladiſlaus Tranſylvanus inter ſaxa & ſcopulos Negrevodæ quia ſolos explicare non potuit; fœde victus eſt; altera dum ipſe per Bulgariæ planiciem nupeiâ victoriâ ſecuros aggreditur, cladem reſarſit, fuſum enim & cæſum hoſtem ſtipendiis obſtrinxit. Dum Cumani religionem Chriſti recipiunt; Bogoſano Valachorum Principi in Moldaviam Rege inconſulto migranti venia datur. Ludovicus in Lithuanos movit: qui non modo finitimos Chriſtianos, quin ipſam Ruſſiam aſſiduis incurſionibus vaſtabant: quos tamen intra limites Rex coercuit, & veniam petentibus Ducem proprium remiſit. Filias ſuſcepit Catharinam, Mariam, & Hedvigam: Catharina intra pubertatem exceſſit, Maria cum ſucceſſione in Regno Sigiſmundo elocata eſt cui pater Carolus quartus Marchionatum Brandeburgenſem emptam à poſteris Ludovici Bavari teſtatus erat: Hedviga Poloniæ Reginæ annuentibus primoribus conſtituta eſt. Hanc quia Ziemovitius Maſovius Elizabethæ diſplicuit; competitor Jagello

gello Dux Lithuaniæ, qui ad Christiana sacra regnum suum offerebat, Uladislai sumpto nomine, Uxorem duxit & celebratis nuptiarum solemnibus Regis nomen meruit. Excessit Ludovicus Tyrnaviæ, & gravissimo vulnere Hungariam perculit: vir tam fortis, quam benigni ingenii, in eruditos liberalis; Astrologiæ imprimis sciens, unde & Ordongos Lajos Hungaris vocatus. Identidem dissimulato habitu vicos, & oppida lustrabat: in Magistratuum vitam, simul & suam inquirens, quo reprendendum corrigeret: aut si placuisset famâ suâ frueretur.

CAPUT III.

Maria Rex salutatur; rejectæ sedem occupat Carolus: cujus cædis pœnas à Reginis sumit Banus Chroatiæ, à Sigismundo capite plectendus. Qui jam Rex bellat in Transalpinos.

HEdvigâ in Poloniam abductâ arctum fœdus inter duos populos initum est, & pactum de mutuo succedendo confirmatum. Maria Sigismundo Brandeburgico desponsa erat, ut ad maturas nuptias præstolari vellet: quæ quia serotinæ videbantur, Maria ut quod sexui deest suorum voluntate supple-

plectetur, pro Regina Rex salutatur. Hæcque quia meritorum paternorum reminiscentia studium augebat fœlicissimum tenuit Regnum: & durasset successus nisi Procerum consultis ad tempus parendum judicasset. Postquam enim senatu spreto, Primoribus contemptis, res quæque ad Nicolai Garæ, (Palatinum hic agebat) arbitrium redacta est: in omnes superbiâ quæ crudelitate gravior est bonis grassata est. Quare ob invidiam suorum, simultates sequentes, & horum finem conspirationem prout repentinus favor, cui causam non dedisti caducus est: valde laboravit: sequuta enim odia civilia, villarum expugnationes, & occulta Reginæ explosio. Plerique ex Proceribus Palatini odio, de Carolo Parvo extincti Regis filio, an nepote, evocando qui Urbanum terrore primo sua ope liberatum, aliò concusserat, & recenti Neapolitani Regni gloriâ fulgebat clandestina consilia inierunt: legatio Zagrabiensi Episcopo demandatur; qui religionem simulans in Italiam venit, Carolo singulorum animos in ipsum intentos, frustra Uxore reluctante persuadet. Advolat Carolus, itinere per Sipontum Segniam, & Zagrabiam confecto: & Regnum sub specie componendi tumultus avidissime arripit: Sigismundus, qui literis moribusque Hungaricis imbuendus in Hungariam Patre dum vivo missus erat, in Bo-
hemiam

hemiam meliori tempori se servaturus effugit. Carolus honeste exceptus arcem Budensem dolo occupat: apud Albam coronationis solemnitatem Reginis (quarum simulatione aliquamdiu prospere nunquam bene usus est) conspiciendam præbuit mirum est tantam moderationem in eo sexu fuisse, ut prudentiâ fervorem cohibere posset. Male rebus humanis natura consuluerat, quod Rex honesta à deterioribus, utilia à noxiis non discernens, scelere partum imperium ruinæ proximum non prævidit: nam assentatoribus generi hominum publico exitio reperto, justo plus fidebat: bonos quosque dignitate pellebat, quibus tamen denegatus honor gloriam intendit. Animis omnium alienis, dum confirmationem molitur, insidiis Elizabethæ & Nicolai petitur: ad privatum evocatur colloquium, per Blasium Forgacs paratum domi percussorem suis artibus ad mortem cogitur: & Itali qui irrationabili serviebant bello, salva sua pacti ad lares redierunt. Trucidato Carolo videbantur Reginæ in pristinum rediisse statum; & rediissent, nisi Carolus fautores reliquisset: dum enim Banus Chroatiæ ultionem sumit, trepidatum est toto Regno: insperato fortunæ seu ludentis sive vindicantis casu Banus Reginas exuit, quarum Elizabetham Boszutæ fluvio, (is veteribus Bacuntius) immersit, Mariam fœlicioribus

fatis

fatis sub custodiâ reservavit, ipsum Palatinum, & Plasium crudeliter interfecit. Sigismundus fati Caroliani, non Reginarum periculi conscius, validum in Bohemiâ delectum habuit, in quem tot sumptus fecerat, ut Jodoco, & Procopio Patruelibus Marchionatum Brandeburgensem pignori daret. in Hungariam perveniens, prout valide stipati fortuna erat, passim suscipitur, colitur; & quid ei servitiorum non præstatur. Rex injuriarum impatiens adversus Banum expedit; quamvis is ingravescente periculo perterritus ante actorum oblivionem pactus Mariam dimiserat. Chroatiâ Boszniâque potitus Johannem Danum Quinqueeclesiis una cum triginta sociis ultimo affecit supplicio. Zagrabiensem Episcopum propter statum bonis publico addictis, dignitate abdicare, satis habuit. Ita Carolus libidinis immensæ Reginis, Reginæ impotentiæ, & fractæ fidei Bano, Banus porro irrationalis sævitiæ vero Regi pœnas dederunt: Novum Regem Hungaria agnovit, Ludovicum Caroli filium Neapolis: & Sigismundus imperium sibi debitum prudentiâ tenens expeditionem in Valachos, Moldavos sumpsit: cujus Vayvodam Stephanum cecidit, imperium fide Hungariæ adstrinxit. Nec tamen malis finis. Hedviga Russiam alienavit. Alexander Transalpinam in libertatem asserere tentavit, & impar viribus Turcos

Turcos in socios belli assumsit: hos quidem Sigismundus in turpem fugam conjecit, & in Thraciam usque persequutus Nicopolim cepit: sed Mariæ mors lætitiam in luctum convertit, cum & Uladislaus jus in Regnum prætenderet, pactionis inter Mariam, & Hedvigam initæ conscius.

CAPUT IV.

Origo Turcorum: cum iis infœlix ad Nicopolim prælium.

ULadislaum Johannes Canysai Archiepiscopus Strigoniensis in finibus clausit, perplexitate montium fultus: sed longe major metus à Turcis imminebat; qui nupera cæde irritati ditiones Hungarorum vastare, Nicopolim eodem quo & in Euro & Asia, aliæ sunt nomine recipere non intermiserunt. Originem Turcorum alii aliam referunt: Cum Persæ Macedonibus scissis, resumentes ab Omaro filio Alchitabi Saraceno (qui Jezdegirdam prælio Gyalulansi devicit) exuti sunt; Turci persequutiones à vagis Scythis, (qui & Tatari) passi sunt. Quare contenderunt in inferiorem Asiam placuit; donec incertis sedibus & ipsi vagantes Parthia potirentur: qua de causa Johannes Cantacuzenus passim Turcos Persas appellat. Primus horum Saracenos submi-

 sit

ſit Tangrolipix Mucaletus Byzantinis dictus, qui Orientis Principi Baſilio Porphyrogenneto Mahomethum Saracenum i. Turci reditum in patriam impediverat, poteſtate dejecit. Hic idem cum Togrulbeco Elmacini cæterorumque Arabum ſcriptorum: Reynerus Reyneccius eumque ſequutus Leunclajus avum Togrulbeci Selghucem fuiſſe affirmant, vel Arabicâ ſcripturâ refutandi qua Togrulbèck ſcribitur, prout Græcis Τογρόλιπιξ parva mutatione facta, quæ in Barbaris vocibus plerumque accidit. Varie dehinc Orientem afflixerunt: alias Byzantium uſque progreſſi, ſæpe ab Imperatoribus interdum & Occidentalibus terra ſancta recuperata claris maxime Tataris rejecti, tamen emerſerunt. Apud hos veteris nobilitatis indole, ac gloria exoleſcente quatuor novorum hominum familiæ ſunt exortæ; Aſambaſi, Candelori, Caramani, Othomanni. Otthomannorum fœlicitas longe maxima extitit: qui ab Oguzo originem ducunt, nec tamen principio ſatis certo Laonicus Chalcondylas Duzalpis cujuſdam filium vult Oguzum pronepotem Oſmannum, à quo Oſmanidæ: quia autem Gundufely, qui idem cum Duzalpe duodecimo gradu eſt poſt Oguzûm in Annalibus Turcicis id non acceptatur. Theodorus Spanduginus, repetit à Deli quodam; cui Aladines, ob ſingulare cum Græco certamen

men villam Otthomanzicam dedisset. Annalibus Turcicis maxime credendum est, qui ad Principes Machanenses Otthomanni genealogiam referunt; nisi quod qua parte Persiæ Machana fuerit non est compertum, Cum Zingis Chan Parthiam invasit, Turcos pressit: Solyman Schachus Osmanni avus versus Euphratem fugit, ubi infœlicem expiravit animam. Trium liberorum duo in Parthiam jam ab hoste tutam redierunt, Ertucules apud Szultanum Aladinem Selguccidam, qui metu Tatari perinde profugus multas in Asia minore terras occuparat, sedem sibi suisque ad Ancyram exoravit, Osman ejus filius Prusam Ulubadam expugnavit, & deficiente familia Selgucidarum in filio Aladinis dicti, in Szultanum evectus est: Turcos erexit, magnam Bithyniæ partem sui juris fecit. Urchanes successor, partim vi, partim deditione Phrygiam Cariam qui occupavit, trajectis Hellesponti angustiis Mysiam attrivit: neque minus multas regiones consilio ad amicitiam junxit, quod in captos clementia uteretur. Quo excedente Murathes Chan libertati omnium insidiatus dum contentiones Græcorum alit infirmis subveniens, victos pariter victoresque sub jugum misit: Nam Cantacuzeno contra Johannem tertium Palæologum suppetias tulit, qui securum Imperatorem aggressus Bessos Triballos obtrivit, Hadriano-

polim cepit; à Nicolao Cobolovitio vitam suam publicæ saluti donante confossus. Bajazethes, qui & Gilderun Chan Jacupe Zelebi altero Amurathis filio strangulato, Marcum Bulgarum fudit, fugavit; Lazarum Triballum acie peremit; prolatis in Orientem armis Armeniorum regiam cepit, dein Phocide & Thessalia domitis Hungaris negotium facessivit. Sigismundus nihil per legatos effecit: abiit igitur res consilio ad vires, vimque pugnantium Rex tam preciis quam prece validum ex Hungaris, Germanis, atque Gallis delectum habuit, formidolosam Turcorum potentiam priusquam majora sumeret incrementa protriturus. Johannes intrepidus Philippi Burgundi filius ferebat Sigismundo opem: & dum in Bulgaria oppida ignobilia expugnantur præsidiis Turcorum infessa; sui fiducia, ac hostium contemptus augetur. Uno etiam satis magno prælio Franci victores pro levitate gentis in luxum; lasciviam, & libidinem effunduntur, tanta væcordia, ut illis hastis cœlum ruens fulciri posse jactarent. Bajazethes Byzantii obsidione amissa ad Nicopolim occurrit: Sigismundo placebat Hungari rerum Turcicarum periti, prima in acie consistant, Franci agmen claudant. Id ignominiosum ratus Audacis filius & ipse Intrepidus in Turcos ruit, priusquam se Sigismundus explicaret, & cum sagittis multi equo-

equorum confoderentur, cataphracti ex equis desiliunt; vacui sessoribus revertentes in castra cum occursarent Hungaris late terrorem fecerunt, qui præsenti periculi specie corda omnium perstringente voluntariâ suorum fuga cæsi sunt, plerique Danubio submersi: Sigismundus quod æstimatione sortis humanæ dignum vitæ ambiguus triremi arrepta Byzantium profugit, Rhodo, & Dalmatiâ emensis ope Strigoniensis Præpositi regnum recepit. Captis prælio Johannes Burgundio, & Nobilium turba, qui Prusam delati partim liberati, partim mortui. Ducentis millibus aureorum Duce libertas stetit, futurâ turbarum satione ut gratis dimitteretur Bajazethi non persuaso. Fœlix tam nobili victoria Bajazethes, paulo post infœlicior victis fuit: tam fallax rerum humanarum fides: Victus enim à Temuro Tatarorum Chane, & cum superbius loqueretur, in ferrea cavea circumductus, dorsum victori equum ascendenti supposuit. Ita secundæ res acrioribus animum ejus stimulis explorarunt, sequentes fœlicitatem corruperunt.

CAPUT V.

Sigiſmundus in arce Goklos detinetur: unde Gararum ope liberatus perduelles multat; Ejus bella cum Boſſenenſibus, Moldavis, Turcis, Polonis, & Venetis: electio in Cæſarem, acta in Concilio Conſtantienſi, & ruſticorum inſolentia; quam Regis mors ſequuta.

SIgiſmundus ex ſumta de duobus & triginta Nobilibus pœna, maximam apud ſuos invidiam conflaverat, quam res ejus proſperæ aliquantis pertexerunt: clades Nicopolitana luci dedit. Facta conjuratione, in invidiam, & vindictam acti Ladiſlaum evocaret: is Ludovico Andegavenſi, mortui illius filio ſtudentem Neapolim jam receperat: Cum enim Rex Urbes pontificii juris ſuæ ditionis faceret, ab Alexandro anathemate Papali perculſus eſt, Regni jus Ludovico adjudicatum. Ladiſlaus fati Patris conſcius tergiverſatur, & mora nexa non prius movet, quam in arce Goklos captivitate conſtrictum Sigiſmundum audiret. Buda tamen & Germaniæ fines Stiborii Polono, & Bohemo exercitu ſtipati ope manſerant in fide Sigiſmundus à Juvenibus Garuis Nicolai filiis cuſtoditus, dum Ladiſlaus non-

nondum satis confirmato Apuliæ regno Jaderam, communem lictorum Matrem sexum nempe flexibilem expugnat, non defore si interimatur vindices: si ipsorum opera dimittatur certissima Juvenes præmia manere. Dimissus occulte in Moraviam, & Bohemiam, aperte Regnum resumpsit. Ladislaus dum Jaderam obsidet, & expugnat, qui pacatum regnum se invasurum ratus moverat, festino percellitur nuncio Sigismundum restitutum esse, & Neapolitanos in rebellionem propendere. Quare placuit redire ne dum aliena captat sua perdat; Jaderam porro ut aliquid videretur egisse Venetis cum quibus pluries super ea contentum erat vendidit. Sigismundus Stephanum Transylvanum, & paucos conjuratores capite minuit; cæteros acerbitatis pertæsus benignitate composuit. Nec tamen pace promto belli artes Regi: Bossenenses nostris turbis defecerunt; quos Johannes Gara, Marothi, & Gupor, reducere tentarunt: sed subita hostium impressione singuli cæsi, singuli castris exuti; Gupor bovi insutus, Danubio demersus est, reliqui Imperatores aufugerunt. Nec fœlicius contra Turcos pugnatum: Quamvis enim ne male Christianis tantum modo iratum Deum diceres, filii Bajazetis cruentis se invicem bellis terebant, æque miser discordantium Romanensium mansit status, Marcus Vayvo-

da Moldavus strenue impetum Bajazethis repulerat: cujus quinque filii, nam Mustapham Temir occiderat cum dissentirent, Mosæ adhæsit: hic porro ejus ope Isam, & Sulymannum fratres debellavit: eandem operam Dacus adversus Muchemethem tentat; ubi Isphendiaris auxiliis victor Muchemethes tributum Vayvodæ imponit: sed cum Pseudo Mustapham periinde protegeret, qui scenicus Imperator servus ipse, imperium occupandum non servili animo conceperat; perempto illo Danus Moldaviæ competitor Muchemethi persuasit, vellet ejecto illo quippe mobili regnum sibi statuere. Marcus quod poterat Hungarorum sibi Patronorum opem imploravit: quam accepit Duce Stephano Lossontio Provinciam cum imperio sortito: nihilominus pellitur, tanto hosti impar, & Danus Regno imponitur. Hinc Isacus Turca Bossenensis Præfectus Hungaros lacessivit, pagos vastavit: & quamvis à Nicolao Pecri fortiter duobus prælhis cæderetur, segnitie nostrum, & per hoc promto ad discordias animo emersit. Ruperto Cæsare extincto Johannes vigesimus secundus auctor fuit Proceribus Germanis, ut Sigismundum Turcico bello sanctiorem, quam fœliciorem crearunt Imperatorem. Sigismundus majestate Regia, liberalitate simul & virtute, quam multarum linguarum peritia exornabat, omnes suæ

suæ ætatis Reges anteibat, nulli præcessorum secundus, si bellandi fœlicitas, & pudicitia corporis adfuissent. Italia continuis malis quatiebatur: Purpurati tædio schismatis Angelum Venetum, qui Gregorium duodecimum nomen edidit, juramento obstrinxerunt, quod à Concilio adigeretur fore, Conventum est Pisas, utrique æmulo jus sedis abrogatum, delectus in Pontificem Petrus minor Cretensis. Tarraconensis Scoti, Armeniaci in fide Benedicti Avinionensis manserunt; Carolus Malatesta Gregorium Arimini tegebat, Ecclesia Romana triceps exinde visa, biformia simul monstra, & triformia nata. Alexandrum jam Johannes vigesimus secundus exceperat, ita non tam sanatum vulnus, quam recrudescens, Quinquaginta annos traxit ista dominatio. Dum Ladislaus Neapolitanus compulsus, in fide Johannis non maneret, singulis in urbibus singuli oriuntur Tyranni, proinde Ladislaus dum spem concipit totius Italiæ potiundi tam opportune decessit, ut veneno sublatum non absit suspicio. Sigismundus in Uladislaum Polonum movens qui quadraginta millia Crucigerum parvo tempore interemerat, videbatur qui ipsum nomen sublaturus, inducias accepit: quas accurante Zaviscio Nigro pax sequuta: à quo octuaginta millia florenorum Pragensium mutua sumsit; hic porro

tredecim Scepusii Urbes pignus cepit. Plurima de hinc à Turcis illata damna: Georgius Bulchovitius Serviæ Despothes quia impetus ferre non poterat Belgradum Sigismundo (alii Alberto volunt) donavit; pro quo & ipse varias in Hungaria arces accepit. Exarsit bellum Venetum: Hi enim non modo Jaderam non reddebant sed & Sicum occuparant; nec Johannis Pontificis quippe mobilis virtute pax ulla inita. Pipus Florentinus cum decem millibus à Sigismundo missus cum Forojulienses & Carnos ex parte subjecisset, Bellunum, Feltrum ac Metum Venetis abstulisset, auro corruptus, turpiter discessit à pugna. Placuit ergo Regi se cum quadraginta millibus accingere: & quia Florentini rebelles, cum Venetis se junxerant: Ladislao Nadanyi qui in Transylvania legatum Vayvodæ agebat suppetias imperat: Sed eum Carolus Malatesta cunctando potius quam pugnando fregit, & ad inducias quinquennales adegit: quibus exactis quia Sigismundus bello Bohemico jam horum quoque Rex distinebatur, amissa Veneti receperunt. Cæsar Laudæ congressus cum Pontifice, denunciat ei concilium tollendo schismati indicat: aut dicto audiendum aut offendendum fore genus humanū. Delecta tandem Constantia ubi Johanni quadraginta crimina objecta, cum se non satis expediret Ludovico Palatino custodiendus

endus traditur, Gregorio per Carolum Malatestam se abdicanti jus pilei redditum. Pervicacior Benedictus Sigismundo Angliæ, & Galliæ Reges hortante expugnatus est, co labore Augusti, ut pauci Cæsares victoriæ de hoste latæ tantum impendissent: quanti pax Ecclesiastica Sigismundo constitit. Ottho Columna, tandem electus in Papam Martinus quintus dici voluit. Causâ fidei adductâ in quæstionem, Johannes Hussus, & Hieronimus Pragensis quia hæreticis non erat fides servanda combusti sunt, & in eorum segnaces crudeles sententiæ latæ. Jus tamen Johannes Zischa, & Procopius magnis Sigismundi parentarunt cladibus; & ne humanis tantum consiliis ultionem peractam crederes. Hungarorum quindecim millia Sigismundum sequuta, fracta glacie undis interierunt. Ultimo autem itinere in Bohemiam Rex Synodum Basiliensem & ipsam bicipitem partum enixam confirmavit. Sub hâc emersit & novum malum in Hungaria bellum nempe rusticum: hi quondam prophana grassante religione, quia ensem cruentum sequi nolebant in perpetuam servitutem fuerunt addicti. Antonio quodam Duce insurrexere: proposito aut vindicandi se in libertatem, aut moriendi ante servitium plusquam hostis obvia rapuerunt. Ad extremum quia nihil præter inconditam multitudinem erat, alias quo-

que aut indiſtinctam, aut belli rudem, parva manu ſuperati ſunt. Rex Praga diſcedens Albertum Generum Proceribus commendavit: ipſe in Moraviæ Urbem Znoymam venit: ubi & vitam clauſit anno vitæ ſeptuageſimo: vir diligens quidem, ſed quem plerumque non tam voluntas, quam fortuna, & propterea ſuorum conſtantia deſtituit. Doctos fovit: ante ſtare eos natura aliis affirmans qui ingeniis pollerent Divitias, & munificentiam Regum fato obtingere. Barbaræ Uxori in adulterio ſæpe deprehenſæ, ſcortator ipſe ignovit.

CAPUT VI.

Albertus ſeditionem Hungarorum vix componere valens; irritum bellum adverſus Turcos ſumit, quo & ipſe extinguitur.

ALbertus ex Auſtriæ Duce, paucis pene menſibus Dux Lucemburgenſis, Marchio Moraviæ, Rex Ungarorum, Bohemorum, & Ungaris ægre conſenſis qui Sigiſmundo rebus Germanicis & Italicis intento Turcis prædæ fuiſſe Regnum querebantur. Romanorum creatus eſt: biennio clavum tenuit; inconſtantiæ mundi, & ſubiti faſtigii, ſubitæ ruinæ argumentum. Albæ coronatus Budam pervenit, ubi Germani munia

munia Præturæ Urbanæ ad se traxere, destinationem officiorum sub specie Cæsarei sanguinis avidissimé arripuerunt, pariter & ad arbitrium administrarunt: & acriter sibi contradicentem Johannem Othuos primo correptum immisso percussore confecerunt. Alemannos ergo jam suspectos cædis obvios trucidant, absconditos expugnant; ad extremum Jacobi cujusdam Franciscani, & Capistrani Crucigerum Præfecti precibus, postquam laserunt satis sanguinis, manus retraxerunt: Turci Rasciam populati, quorum arma sua captivitate sensit Synderovia; cum de incursionibus eorum fidissimus, nostrisque amicissimus Georgius Bulchus Provinciæ Despothes quereretur. Filiorum duobus arcis in quam caput regionis compulsus erat unicam, & per hoc Reguli nomen retinebat propugnationem commisit; ipse cum Lazaro tertio filio in Pannoniam quærendis suppetiis aufugit. Hungari rerum statu anxii Albertum qui Viennam concesserat exciunt: is quia Metropolita Strigoniensis Georgius Palocziús excesserat, quantum Strigonii in ære esset recognovit; & nefanda fraude Regina, reliquo thesauro obsignato coronam subripuit. Metus jam ab Amurathe instabat, nec Hungari recusant opem ferre: sed priusquam adessent, oscitantiâ nostrum potius, quam hostis robore Synderovia primum direpta; deinde

firmius

firmius munita. Filiam Georgii eodem tempore Bonfinio, tribus ante annis Turcicis Annalibus Amurathes duxerat; copula tamen nihil juvante, filios Despothis Stephanum, & Georgium captivavit, & cum Patrem adjutare dicerentur, hostilia agitantem immani crudelitate, emasculatos occæcavit: documentum Turcici fidei. Ab expugnatione castri Albertus consternatur, inter Danubium, & Tibiscum castra locat; quia porro cupitis potitus Amurathes retrócessit Hungari non institerunt, quorum magna pars æstu, ventris profluvio peponum abusu absumebatur: unde idem iter revertenti Alberto ad Nesmel oppidum fatale fuit.

CAPUT VII.

Elizabetha solito loco reposita, corona, semestrem filium, per aliquot Proceres coronat: Alii Uladislaum Polonum inducunt, cujus & factio vicit.

ELizabetha Uxor secundum Regis obitum gravida Primores obtestata est, ne conceptam ex defuncto sobolem, quæ utero gestabatur negligerent, quin ne quid Respublica detrimenti caperet, de creando interrege deliberarent. Traxit præsentes in suam sententiam: alii Uladislao 3. Regi

Poloniæ

Poloniæ Jagellonis filio adhærebant, ut Reginam matrimonio copulet, posthumo Austriâ Bohemiaque cedat. Suadebat id impar Regno pupillus, & circumsonantia Turcorum arma: legati Craccoviam pervenerant, cum rescitur Elizabetham peperisse. Hinc præproperam festinationem pœnitentia sequuta, legatio abrogatur. At legati obsequium rumpere ausi, verecundia, & actorum conscientia constantes, mandata effectui mancipant. A Senatu quidem Regnoque Poloniæ frustra Turcis contravenientibus audiuntur: cæterum pars antequam Uladislaus in Hungariam penetraret, pupillum ministrò Dionysio Zechio Cardinali eligerunt: & Regina diadema è latibulis eductum solito loco reposuit. Ita regibus tum insignibus Ladislaus redimitus: jurare quia nec dum quadri mestris poterat, Mater Thomas Zechius, & Vdalricus Comes Ciliæ spondebant, pupillum ut per ætatem foret capessendo imperio sacramentum renovaturum, nec libertati Regni interea decessurum. Soluto conventu fortunâ sua mobilitate, quem paulo ante extulerat, demergere est adorta: Regina pericula prævidens, diadematis subreptione secundum animos, oculosque Procerum fefellit; idque una cum filio ad Fridericum III. ablegavit. Fertur in via conscientia rerum gestarum perterrita, ad oppidum Sz.Mihaly Salici

miræ vacuitatis coronam indidisse, Ladomiumque quendam custodem admovisse. Uladislaus splendido comitatu Budam descendit: pietate & constantia præditus gravi sermone incredito Hungaros tanquam dissidiosos, sub specie negantis imperium (quod non poterat esse tutum, nisi benevolentia munitum) moderatione propria, quam ulla vi ad se traxit; & Regnicolæ demonstrata sua innocentia cui fœmineus ambitus fraudi esse non debeat frequentes adsunt. Johannes Palatinus Budæ conventum indicit, quo omnes parti faventes convenere: adversæ factionis Dionysius Zechius, & Ladislaus Gara Præfectus Vissegradensis publica fide evocati: non tamen prius liberi dicti, quam ille Regem coronaret, hic diadema traderet. Vissegrado petita corona non aderat: hinc attoniti Procceres turbas agunt. Reginam quæ regnum violasset proscindunt. Detractum tamen ex Simulachro Divi Stephani diadema Uladislao imponunt, lætis omnibus ut fit ad nova imperia: plurimum ducem juvit Polonum Nicolaus Vylach Chroatiæ Banus & Johannes Hunniades qui inter factiones sidus Pannoniæ emerserat.

CAPUT VIII.

Bellum cum factiosis intestinum. Amurathes Belgradum frustra tentat. Corvini victoria super Isacho & Mesiche Begis.

INterim nulla quies Elizabetha dum superstite sperabatur; abutebatur æmula arcium quarundam præsidio ad lacessendum Regem. Hinc bellũ civile. Ladislaus Gara cum sociis res novas primum ad Monasterium Zegszard molitus, quem Hunniades, & Vylach magna clade adversæ partis repressit. Exsurrexere Zechi & Giscra, quorum ille Comaromio; hic Trenchenio cui Bohemorum aderat multitudo Zaladiensem oram vastarunt; varia castra occupantes semel in perpetuum ereptum Hungariam ex dignitate sua non putarunt. Variis hinc inde bellis imminuebantur; nec intercedente Juliano Pontificis legato amplius effectum est quam ut ad tempus quiescerent: Elizabethæ enim mors continuandum negotium iis qui partibus pupilli addicti extrema tentanda deliberarunt reliquit. Hunniades Transylvaniæ Vayvoda renunciatus erat: cum Amurathes dissidiis Hungarorum abutendum ratus Rasciam sibi universam subjecit, sex castellis in Hungaria potitus Belgradum obsidione

ne cinxit. Tenebat arcem Johannes Aurane Matthiæ Chroatiæ Bane frater, qui ingenti animo Turcum superbia ferocem sustinuit repulit, oppugnatione octo millia dein cuniculis hostium contra hostes usus sulphure, nitro, sarmintis aliisque concitatissimi alimenti incendiis septemdecim millia Turcorum absumpsit; septem mensibus obsidio duravit, quæ quum non procederet versus alteram partem Regni profectus Novogradum in finibus Serviæ propugnatoribus destitutum cepit. Isacum quendam malis nostris celebrem Semendriæ Begum Amurathes creaverat; qui rapinis, expiationibus imnunera Christianorum captivitate gratiam Regis sui venabatur. Isacho cum Hungari discordes contravenire non possent, Johannem Corvinum traditis Severiensi & Temesiensi Præfecturis in finibus Begi opponere placuit: Vastavit ille Albanum agrum obvia rapuit, prædam non mediocrem abegit: Nec Corvinus defuit sibi, qui coacto clam valido exercitu Danubium trajecit: concurrunt inter Albam & Synderoviam geminæ acies, ubi postquam diu pugnatum est Turci inclinantur Isacus ad Synderoviæ suburbia pellitur. Cum Georgius Mysiæ ejectus ob Pannonum discordias Ragusium, venit, indeque Amurathis minis dimissus ad oppida sua in Hungariam rediisset, Turca in agro Albano pessime habitus Mesithe Bego id ne-

gotii

gotii dat, ut per Valachiam (quæ ope Corvini defeceiat) in Transylvaniam penetret: is direpta Valachia captivis onustus rem perficit: cui Hunniades suos opposuit: sed hic prima fortuna cæsus fugam capessivit. Mox passim per villas rusticos, Siculos, Saxonesque cohortans speciem justi exercitus fecit, Mesitem invasit, viginti millibus Turcorum cæsis ipsum Begum cum filio interemit.

CAPUT IX.

Corvinus Scachum Abedinem cadit. Qua victoria gaudens Uladislaus contra Turcos movit, & his victis pacem retrocedens concedit.

DUm Elizabetha excedit; & fœderis injustæ conditiones ab Uladislao quanquam pacis avido repudiantur Amurathes Schachum Abedinem expedivit: ut peragrata Valachia Transylvaniam, & Ungariam prædæ habeat, cladis ultionem sumturus. Bonfinius octuaginta millia Turcorum se accepisse scribit idque vix fidem admittere, Cæsorum certe numerus, & Annales Turcici fidem facere debent. Referunt enim hi Bassam cum universis Romaniæ copiis, & Achanziis (qui sine stipendio militant) & Genizeris missum esse. Bassa ad Nicopolim trajicit.

trajicit: Corvinus quoque delectum habet. Valachi bene sperare jussi cum impares essent montibus inaccessibilibus contra hostem se tutari, Turci in Valachia cuncta vastant, in homines pecora, omnem sexum & ætatem furiunt; Occurrit Corvinus ad Vaskapu cum 15. millibus, & subita impressione vincit, Turcorum triginta millia cædit, ipsum Beglerbegum enecat. Hinc trium dierum supplicationes, templis spolia affixa, trophæa ad ferream portam erecta, passim Johannes propugnaculum Christianorum clamatur. Uladislaus præ recenti victoria sumptis animis, & Juliani legati Pontificii suasu per se expeditionem sumit: aderant Hungari Poloni, & Crucigerum multitudo Trajecto ad falsum lapidem, & Cobin Danubio Georgium Bulchum, & Hunniadem ubique sibi præmittit levioribus præliis Turci sæpe fusi, & repressi ad Moravam amnem, & juga Hemi montis usque. Hic duæ in Macedoniam Thraciamque patent viæ: altera à Traiano expurgata, altera ad Slatizam fluvium, quæ Turcis clissira Issadina hactenus pleraque Bulgariæ oppida partim vi, partim deditione capta sunt. Adversus Regem missus Casanes Bassa, qui & Carambegus seu Niger Dominus, Callimacho corrupte Carambus, cum Turchane Bego cum universis Romaniæ copiis, & Achanziis. Sed quia nostri desperate rem age-

agebant Turci deleti, ipse Casanes captus Bonfinius pugnatum scribit, cum reditum Ulad filius maturaret, Callimachus qui vitam Regis in literas misit in ipso progressu, quod & cum Turcicis Annalibus convenit. Rei infœliciter gestæ fama ad Amurathem perlata, omnes ad hanc militiam convocavit copias: & quia frigeie tempestas cœpit, exercitus per inopiam fatiscere; ad hæc penuriam rerum, longinqua itinera sola Ducum patientia mitigabat Vladislao reditum maturare placuit: eum subsequutus Amurathes cum gelu omnia constrinxissent nullo notabili illato damno recessit. Fusus tot præliis. Turcus pacem petere coactus, cujus cum eum puderet per Georgium aggreditur Hunniadem, per utrosque Regem; & quia Fridericus Cæsar adversarius erat, dissidiis Paternum Poloniæ Regnum fluctuabat, in decem annos pax inita ut Georgio tota cederet Servia, Moldaviam non repeteret, Bulgariam teneret, captivi utrinque imprimis filii Despothæ dimitterentur.

CAPUT X.

Uladislaus fidem Amurathe datam frangit & ad Varnam perit.

SOlutus Hungarorum metu Amurathes in Ibraliemum Caramaniæ Regum potentiam

am convertit; quem percussum Sarumis cujusdam suasione in gratiam recepit. Interim Eugenius IV. Pontifex Veneti, Imperator Byzantinus innumeris suasionibus; juvenile Vladislai ingenium, nec fortunæ mores edoctum ad fœdus rumpendum induxerunt. Et quamvis Hunniades qui de instantibus verissime judicabat, & de futuris callidissime conjiciebat obtestaretur sceptrum & vitam eripi posse, fidem non posse: ad summum vitę spacium breve, ac definitum, perfidiæ maculam sempiternam. Tamen Rex remissione Pontificia fretus; prout nulla res habilior ad regendos affectus quam religionis, aut sanctimoniæ fama alioquin sævi impotentes, vano augurio capti vatibus', quam bono honestoque parent, se in exitium sui armavit. Contracto Vngarorum Polonorumque valido exercitu Danubium ad Albam Græcam transmisit; cui prope Nicopolim Dracula Moldavus frustra ut à proposito dimoveretur annisus 4 mille viros in societatem applicuit. Amurathes qui Manissæ id temporis agebat per Michemethem Nicopolis Begum certior expeditionis factus in Europam trajicit. Ventum est ad Varnam obscurum id temporis oppidum sed magnitudine cladis emersit. In sinistro latere Hunniades & Michael Niger stabant. qui Niger hactenus quis fuerit ignoratum est: Fuisse ducem Michaelem Szyla-

Szylagyi inde patet: quod ejus ſororem habuiſſe in matrimonio Hunniadem Laonicus teſtetur. Item hujus ejuſdem familia fuit Gereb Szylagyi enim vocatus eſt à regione Hungariæ ejus nominis, unde erat oriundus: quod nomen facile à Turcis in kere, vel kara quod eſt Nigrum transformatum eſt; vel interpres ſignificatione vocis falſus verum nomen non expreſſit. Erat in dextero cornu Bobricius Eques Polonus medio Rex. Magnus hic clamore In dextrum latus Turca invectus Camelos equis oppoſuit, ad ſuorum conſpectum hi territi, fugam capeſſiverunt: qua arte Crœſum à Cyro fugatum apud antiquos legitur. Melius Hunniades, & Rex pugnabant, tanto enim impetu invaſere Turcos, ut utrumque eorum cornu pelleretur. Solus Amurathes cum Jeniceris ſtabat immotus: is quia præſentiſſimum erat periculum, advocato contra perfidos numine acrius invehitur, late hic ſtrages editur. Uladiſlaus fruſtra repugnante Hunniade in Jeniczeros invectus fortunam priorum ſucceſſuum contumacia corrupit. Equo enim ſuffoſſo à Cheſerbego obtruncatus eſt; reliqui quia ordinem ſervare non poterant partem maximam cæduntur partim aufugiunt. Corvinus relictis caſtris per Valachiam celeri fuga in Tranſylvaniam quamvis à Dracula ad tempus detentus ſe recepit. Feruntur prælia

Regiorum

Regiorum IX. Turcorum XXX. millia cæsa. Hic fuit exitus Vladislai: quem quia religio vincere non poterat, religionis contemptor perdidit. Tumulus ejus fuit:

Remulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus.
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

CAPUT XI.

Occiso Uladislao alterum Ladislaus reddere Cæsare recusatur Hunniadis infœlix ad Cosovam bellum & simultates cum Despothe & Ladislaj restitutio.

Hungari jam Rege destituti, in Ladislaum nuper male habitum Regnum conferunt: Gubernationem Corvino decernunt: regnique curam uni Vito domi bellique tradunt. Is secundum imperii gradum tenens quoniam à Varna profugum comprehenderat, Draculam Transalpinæ Vayvodam percussit, ipsum cum duobus filiis cepit. Missi mox ad Cæsarem legati de Regis, & coronæ repetitione. Sed nec verbis, nec incursionibus in Austriam factis quicquam profectum est. Petebatur interim à Turcis Hungaria, & fidei fractæ major ultio quærebatur.

rebatur. Corvinus quem malum non tam fregit, quam erexit, quarto gubernationis anno per Daciam in Mysiam descendit. Rogatus Despothes vellit assistere, fœdus à Turcis sibi servatum objecit. Hinc ira inter amicissimos, quod hac in parte Bulcus, pacis, & fidei studiosissimus esse voluit. Hunniades in præsenti fortunæ tentamine advocat Scodræ Begum: (is erat Georgius Castriota Johannis Triballorum Regis filius; qui Epiri seu Albaniæ Dux scriptis nomine Amurathis literis Crojam patriam recuperavit, & deficiens varie Turcos annis 24. afflixit.) ipse ad Cosovæ sive Merularum planiciem pervenit, dedit operam ut quam longissime tempus duceretur: quod celerius Georgius adesset; In certamen mox descensum tota die dimicatum, & exercitus Turcicus bis dissipatus. Altero die jam deficiens tanto validius incurrit, hinc metus nostris spes hostibus, nostri cæsi, quamvis ingenti hostium strage castris exuti. Corvinus fuga evasit, interdum à prædonibus ferme direptus; alias à pastore exceptus, & Synderoviam perductus est. A Despothe qui libertate à nobis data contra nos usus est quasi religionis contemptor comprehensus, non liber nisi pacta amnestia, obsideque filio Ladislao dato esse jubetur; illud sane non tam merere in hoc quam timere post fidem ruptam fortem Virum plerumque for-

tunam destituisse. Rediens bona Despothæ in Hungaria diripuit; tenuit; donec multorum sollicitatione pax implorata est. Imperator Turcus à Georgio hostem dimissum indignatus Frigebechum adversus Rasciam misit, isque Chrysonicum sive Gorgonim arcem ad Moravam instauravit inde Serviam lacessiturus; quem Corvinus quamvis jam Despothes pessime audiret, odio nominis Turcici aggressus magna stragé affecit, quo prælio & Begus captus est. Major inde Bohemorum fuit incursio, quorum prædones sæpe repressi animos erexerunt. Corvinus unus eo tempore omnia in Republica prope Dosonoviũ acriter primo prelio à suis desertus ab his vincitur; secundo hostem cum sociis ad pacem petendum impulit. Dum Cæsar in Italiam sumendæ Coronæ meditatur, post longas preces tandem Ladislaum restituit: Ei Viennam ingresso adfuere Hungari, & Bohemi: In conventu Corvinus abdicaturus Hungariæ, Pogyebradi Bohemiæ Ulricus Comes Ciliæ magnus Corvini hostis Austriæ præfectus est; qui varia Procerum odia incurrens, dignitate ejectus, ad extremum à Ladislào eventu pejore, quam voluntate receptus, & Eyzingerus ejus hostis proút una cum moribus res mutantur spontaneum subivit exilium.

CA-

CAPUT XII.

Ladiſlaus in Hungariam venit, Mahemethes fruſtra Belgradum tentat. Mores Johannis Corvini, ejuſque filii nec non Regis.

LAdiſlaus auſpicia Regni facturus ad Hungaros non ultra Poſonium divertit. Interim Ulricus Hunniadis acta (in quo non modo ſpem ſed & timorem, quod & obeſſe plurimũ & prodeſſe poſſet habebant) continuo carpere, in dexterius trahere non deſtitit. Gubernator Viennam accerſitus venire recuſat, ablegatur ad eum Ulricus rem judicaturus: ſed quia is ſpeciem judicis induere non poterat, res infecta manſit. Poſtremum Ladiſlaus rerum componendarum Budam venit: Dumque ibi moratur Mahomethes qui jam Amurathi Croja fruſtra tentata in Monaſterium ſuæ religionis ſecedenti ſucceſſerat, Conſtantinopolim 50. dierum obſidione fatigatam capiens Chriſtiano orbi ampliorem incuſſit terrorem. Fodinas argenteas Deſpothis ad Novum montem Treyciam & Priſten occupavit, ad Albam Græcam animum advertit. Alba Græca, Nandor alba alias, item Belgradum, & Nandor Tejervar Hungaris idem ſignificante nomine dicitur, antiquis Taurunum quo-

què vocatum eſt, à Tauris accolis: urbs Savo; & Iſtro munita. Muchemethes altera caſtra præter Savum, alteram Danubium nequid inferri efferrique poſſit diſponit. Cum jam die noctuque muri quaterentur Corvinus & Capiſtranus Crucigerum Præfectus Urbem graviter obſeſſam ſentiunt, claſſem ſecundo amne deducunt, deviɛtoſque in Danubio hoſtes turbant, quia vento, flumine utraque ripa pugnabant navigia ſubmergunt arcem ingrediuntur. Mahomethes hic fruſtratus adoritur Urbem; obſtant oppidani, hinc cædes undique; ſæpe in Urbem Turci irruentes repelluntur. Ad ultimum ſimulantem fugam noſtri adoriuntur, & præter ſpem temeritas benè ceſſit, caſtra hoſtium incendunt; munitiones deſertæ à Corvino captæ, adacto partim in foramen clavo inutiles redditæ partim in hoſtes converſæ. Ita in poſteriora ſe recepit caſtra Muchemethes, & mane verſus Macedoniam ſaucius fugam corripuit; nec Hungari dolum diſperſumque militem cauſat, perſequi voluerunt quadraginta millia Turcorum occidiſſe ſatis habentes. Hoc prælio vulnus Hunniades accepit ex quo obiit, alii febri correptum volunt: Valacho is patre natus matre Græca in vico Hollos, quod Corvinum denotat. Henyadum ob res bene geſtas accepit; poſtmodum provincias cum imperio ſortitus eſt. Elizabetham Gereb ſociam vitæ

vitæ duxit, ex qua Ladiſlaus & Mathias filii. Vir qui parva manu magnos exercitus fundens, malleus magis an eos fortitudinis canitur adhuc barbaros apud hoſtes. Capiſtranus quoque acerrimus vitiorum inſectator brevi eum ſequutus: Vicerat ſeculi pompas, fugerat delitias, calcaverat avaritiã, ſubegerat libidinem, facilius contemnendam dixit gloriam, quam contempſit. Nam bellum mentione Hunniadis diſſimulata, totum ſuum eſſe ſcripſit. Ladiſlaus qui nuper Turcorum adventu territus, ſub ſpecie venationis Buda Viennam aufugit in Hungariam rediit, & Albam ingreſſus veſtigia hoſtis ſpectavit. Ibi Comitis Ciliæ à Ladiſlao Hunniade toties irritato interfecti: cædem invitus toleravit; cæterum ultione dilata Ladiſlaum ſuaſu peſſimorum quorundam capite plexuit, Mathiam Fratrem in cuſtodiam abdidit. Nec diu poſtmodum Rex vixit; qui in Bohemia anno elapſo eodem die novæ nuptæ thalamum exornaturus exceſſit, quo Ladiſlaus Vir fortiſſimus decollatus erat.

CAPUT XIII.

Mathias Corvinus ex captivo Rex eligitur, ejus bella cum Cæsare, & pax, Bohemorum Rebellatio. Et Szylagyii immerita captivitas ex qua mox liberatus est.

HUngarorum rebus ad interregnum reductis Michael Szylagyi Corvini affinis pecunia larga ab Elizabetba sorore munitus mature exercitum conscripsit, & Mathiæ qui ad Georgii Pogyebradi manus literis sub nomine & sigillo mortui Regis Viennam datis pervenerat dignitatem Regiam conferre non omisit. Accedebant apud plerosque Patris merita: Hunyadi enim multos, quamvis Ladislao dum vivente occultos, virtute sibi devinxerat, plures liberalitate suos reddiderat. Michael conventum ad Rakos habitum valido præsidio circumvenit, & partim vi, partim suasionibus Proceres ad suam sententiam pertraxit, ut quamvis inviti, præ metu tamen non repugnantes, in electionem consentirent. Georgius per Michaelem qui Gubernatoris nomen quia nec dū designatus excesserat ex ephebis meruit certior rerum factus, adolescentem in comedendo præsidere jussit, & rei novitate perculso

perculſo nuptias filiæ ſuæ pactus rem aperuit. Mathias à ſuis ad Moravam tranſacto libertatis precio Rex ſalutatus eſt: Is porro cum Bohemo fœdus feriit. Budam tranſlatus Regni immunitates à prædeceſſoribus partim datas, partim approbatas confirmavit. Et quantum diſcordantis patriæ remedium fuerit, excellentior quam alias gratulatio, puerorum tympana, cantus ignotorum præſagiebant. Patres adhuc dum juvenis ætate, & injuria temporum favorabilis, & nominis Majeſtate efficax ad obſequium, & unitatem revocavit: Johannem Viteſium plurimis officiis, & poſtmodum adoptione facta Patrem, erat is Epiſcopus Varadienſis, repetendæ à Cæſare coronæ ablegavit: Sed Fridericus ſibi imperium deberi prætendebat, & juvenilem animum ſpernebat, hic porro cum maxime contemptus eſt, contemptibilis eſſe deſiit. Bellum duplex ingruebat Germanicum & Turcicum; accedebat Bohemus Giſcra, qui bis Johannem Corvinum vicerat; paſſim latrociniis, miſeriis, & captivitate terram expilabat. Fridericum Vylachus Chroatiæ Banus ad ſumendum Regnum impulit, qui cum ipſe aſpiraret fruſtrà, alium Regem venerari mallet; nec Cæſar deeſt, de commeatu, armis, opibus providens in Hungariam irrupit. Rex tot malis non deſperans Magnum Simonem adverſus Cæſarem. Szylágyium Turcos;

Sebaſtianum Rozgonium Bohemos (quos inde ab Elizabetha graſſantes tam certum erat aliquando perituros, quam incertum quando pereundum eſſet) expedit. Cæſar poſtquam rebelles in ſocietatem ſumſit, agrum Sabarianum invaſit, late terram populatus eſt. Occurrit Simon in Superiori Pannonia, concurrit: & partim cæditur, partim rebellibus in proprium ſanguinem propenſis fugæ permittitur. De hinc melior fortuna affulſit: cum enim ſeditioſi conſcientia rerum geſtarum territi reſipuiſſent; ipſorum nuper perduellium ope Cęſariani partim fuſi, partim comprehenſi, in totum caſtris exuti. Elatus Mathias repetendæ Coronæ pertinax, majoribus ſe gerendis deſtinavit: ſed quia Cæſar, otio & paci, quam militiæ aptior reddere diadema non abnuit, pax confecta; Mathias in filium adoptatus, & pactum de ſuccedendo non extantibus liberis Cæſari confirmatum. Hoc bello amoto alterum incendium reſtinguendum erat: Prædatores enim Bohemi Caſſovia & Zolyio cives laceſſebant, neque pax ſperabatur uſque dum ſcopuli nodi, & moræ publicæ ſecuritatis Giſcra, & Telephus ſupereſſent. Roſgoniuis contra hos movit: Vadnam, Galſzecſium Miſlium prædonum caſtella cepit: In Telephum, & Axamithum notiſſimos latrones invectus, prope Saros, cruento prælio vicit, quorum hic occiſus, ille

cum

cum ducentis se effugit; nec Saros castrum ingredienti ulla securitas, nam & arx capta, & passim latebras quærens in sylvis & montibus quamvis ipse adhuc liber plerosque suorum amisit. Lubrica magis, & adversa Szylagyii fortuna fuit: Cum enim Regem qui ingenio supra ætatem valebat, factiosi opprimere non possent, per Regem avunculum tam bene meritum invadunt: qui solemni servitio frequentibus officiis, & occulto scelere in Michaelem quasi Regno inhiantem majore indies vi, veneno neminem quam Regem mordente sine levamento grassabantur. Regis imperio tot benefactorum obliti ad Tibiscum comprehenditur, & quia multorum obtrectatio devicerat unius virtutem Vilagosvarii captivitate constringitur. Eum coquus miræ fidei simulatione Turcorum adventus; excitis arce castrensibus liberat, & quia multi consilio aderant, strenue arx defensa: nec diu Mathias conscientia sceleris suffusus gratiam avunculi bono esse animo jussi repetit, & sævitiam propriam detestatur: alii Regem id fecisse volunt, ut non minus à suis timeretur, quam ab omnibus diligeretur. Conciliato avunculo quia res erat magni momenti in reliquos latrones expeditionem ipse sumit, Patham Sayomenthum, Balosvarum Gemerum, & quot non ille, castella duobus annis occupavit, neque ad Gisceram Principem

malorum pervenit. Hunc tamen Emericus Quæstor, & Stephanus Bathorius, quamvis milites Ducum injussu pugnantes primo certamine pertinaciæ pœnas dederunt, Uyvaro, Szepsio, Kesmarko usque ad montana Poloniæ ejecerunt. Giscra molis impar deprecatione Principem aggressus, & præter spem evenit ut crudelissimus prædonum benevolentia vinceretur. Lippa & Zolyon patroni inscripta, & nuper Regni vastator, defensoris nomen meruit. Pejus cum Telepho actum, qui in eam miseriam adductus est ut vicatim panem quereret, documentum daturus scelerum quamvis longo tempore comitem esse pœnam. Postquam igitur tot latrociniis Regnum turbatum esset Rex à prædonibus anno imperii sexto Regionem omnem tutam reddidit.

CAPUT XV.

Halibegus bis ceditur, corona à Cæsare redimitur, bellum in Valachiam Bossenam ubi & Ducum Bossenæ illustratio, Jaicia capitur. Muchemethes recipere volens solo nomine Mathiæ terretur. Et vicissim hic eodem metu à Zoynicho redit. Suohlam percutit. Transylvaniam, & Moldaviam rebelles subigit. Szylagyi captivitas.

MUchemethes maxime formidabilis superfuit

perſuit, qui quamvis ipſe Regis nomen non uſurparet, Reges ipſos inſtrumenta ſervitutis habebat. Is per Halibegum ſuperioris Myſiæ Præfectum, Syrmienſem agrum ad Tutachum uſque depopulatus eſt; quem Michael aggreſſus tanta virtute vicit, ut victor exercitus non plus aquæ quam ſanguinis ad Savum creverit. Halibegus Synderoviam effugiens; (Myſiæ enim Rex nomine, re ipſa ſervus ex arbitrio Domini, & ante poſſeſſis, & poſt acquiſitis privandus ſponte ſe Turcis dediderat) turpitudinem ſequenti prælio delere anhelabat: Tranſylvaniam invadit. Sed neque ibi res bene cecidit; nam ad Temeſvarum ſecundam victoriam Pancratio tradidit. Dum hæc ad Belgradum geruntur Corona millibus aureum ſeptuaginta fruſtrâ quorundam avaritiâ contraveniente per Viceſium redemta eſt, & quia pars parti diffidebat ad portas Neapolis eodem momento hinc pecuniæ inde corona traditæ Mathias in Tranſalpinam movit ſpecie Bladum Dracolam Virum immani in captivos crudelitate ſævientem à Turcis liberandi: (hic enim ſubita impreſſione adverſus Mahomethum parum efficiens, fugit ad Mathiam) qui porro Valachum ir certum qua ex cauſa carcere decennali maceravit. Ita Valachia Turcis Draculæ junioris obſequiis ſtipendiariâ ceſſit, quamvis jus Vayvodæ confirmandi juxta pactum Uladiſlai. & Muratis ſecundi

penes Mathiam fuit. Confectis utcunque rebus Boszniam invasit. Res est altius repetenda: Lazarus Despothes, qui Georgio sæpe relato successerat filiam Stephano Mresiczio Bossenensi Regulo (altera enim Bossena est Regnum altera Ducatus) in Uxorem dedit. Is soceri morte Regno potitus, vir impius à Muchemethe quamvis sub fide Jaicia evocatus, cute exutus est. Inde Bossenam superiorem quæ versus Zaram, & Epidaurum protenditur adortus. Ejus Regia Turcis Herzega Boszniacis & Chroatis Herzegovina dicta, verbo Ducis sedem significantē Duci ejus Stephano libidinibus immerso erant filii Ladislaus, Stephanus, & Vatica. Ladislaus Patris adulterio infestissimus contra quem Dux Muchemethem evocaverat; Venetias indeque in Hungariam profugit, Ab Imperatore quia se dum in itinere Dux excesserat Vaticæ Valaccham & Novigradum accipit certo tempore à Bajazethe Muchemethis successore exuendus Stephanus qui obses à Patre datus erat circumcisus à Muchemethe, Achmetis nomen sumsit: Hęc Spanduginus, Jovius aliter narrat quasi hic Stephanus Patris adversus uxorem impotentiæ pertæsus ad Bajazethem non Muchemethem venisset ab eoque grato animo receptus Mussulmannisasset. In eo satis convenit libidinem Regno finem attulisse. Cum igitur Mathias unico Savo separari se à Turcis

cis videret Jaiciam obsidendam ratus est; & cum oppidanorum ad se flexisset animos Urbem cepit. Cnarambegum arcis Præfectum simulato Regis discessu securum ad deditionem compulit, & Bossenæ Regnum ad suum corpus reduxit. Jaiciam captivitate audita Muchemethes triginta millium stipatus exercitu reducere tentavit; sed is præ inani adventu Mathiæ abscedens, quamvis nec offerre se periculis sine causa debebat periculi fuga commisit, ut imbellis timidusque videatur. Rex anno regni sexto solemniter coronatus, novo vere majora contra Turcos molitur: adsunt proposito varii legati, imprimis Veneti, quos bellare cum Hungaris solitos periculi societas junxerat, quinquaginta millia currente belli annua dedere. Rex trajecto Savo Zoynichum Rassiæ obsidet per Emericum Scepusium Streverinchum subegit: Sed prout nuper Turca, hodie Rex vano rumore Muchemethis retrocessit. Conventu Segedini habito de bello & suppetiis Principum implorandis in Frangepanes movit, hi in Chroatia alpibus quasi claustris freti obsequia parum grata præstabant. Sed dum ad Zagrabiam ventum est, illico cursus vertendus fuit, Suohla enim nuper in castris milites Regius, minus honoratam quam conflata egestas rei familiaris exigebat aversatus militiæ suę societatem ex arce Costolana Bohemorum ope latrocina-

trocina;

trocinabatur hic tamen cæsus, & castro ejectus laqueo vitam finivit. Postquam legati ad Pontificem annua quinquaginta millia recepissent, invidia cum fœlicitate crescebat. Transylvani acti tributi impatientes in Johannem Vayvodam omnem potestatem concesserant. Qui prius victi, quam hostem vidissent; obtestationibus plurimis gratiam Regis exorarunt. Rex Transylvania egressus in Moldaviam pervenit laborantem eadem seditione. Ubi Gyasz vasurum occupans, propugnaculo, vallo suorumque fide pugnans Valachorum septem millia peremit, regionemque perdomuit. Infœlicius contra Turcos pugnatum est. Michael enim Szylagyi & Gregorius Labathan in finibus constituti cruento à Turcis prelio superati sunt: ambo comprehensi: Ducum hic permutatione facta mortem effugit, Michael quamvis captivus capitis sententiam audivit.

CAPUT XVI.

Bellum Bohemicum, Mathias competitorem Casimirum fugat, Reges Poloniæ & Bohemiæ ingenti animo cædit. In Moldavia Turcorum clades & Sabaczii expugnatio.

PAcatis Provinciis bellum Bohemicum exarsit

exarsit: Paulus enim II, Pontifex adversus Hæreticum Pogyebradium, Mathiam instigavit: Frustra alii Hungarorum contra Turcos erumpendum rati, qui bello Syriaco, & Ægyptio distentus leviter superari posset. Rex enim prædonum origine, potissimum religione sæpissime humanarum mentium ludibrio in Hæreticos potius domesticum malum bellandum censuit; & placitum Principis sequuta suorum vota frustra tamen negatur, quin præ magna Turci Principis virtute, magna & ipsius virtus extracta sit; unde & tutior gloria, & pinguior victoria sperari poterat. Nec Pogyebradius segnior valido cum exercitu in Moraviam filio Victorino concreditam perexit: in finibus Hungarum opperiturus; caute, ne in suo Regno bellum gereretur. Sed miser in id prorsus quod fugiebat incidit: Achillis enim congressus impar, & ipse rediit & plures exercitus frustra conscripsit. Mathias ne quid sancti expeditioni desit edicto Pontificio Moravos, Slesos, & Bohemos anathemate feriens, & non modicam multitudinem Georgio abstrahens Trebyzum & Brunam tanta celeritate occupavit, ut prius expugnasse, quam se potiturum crederet videretur. Sæpe Socer impietatem Genero; hic hæresim Socero objecit: sed morte gnatæ quæ concordiam matrimonii fœdere tenebat, copula parvi erat. Fuit & colloqui-

um

um inter ipſos de legibus fœderis; verum cum hæreſi retenta de pace non convenit Mathias Spilbergum, Olomaczium cepit, & victum caput Moravia ſequuta eſt. Rex Bohemiæ ſolemniter declaratus cui Moravia jam imperio faveret, & Sleſia ultro parcuit. Victorinus ad incitas redactus parvum diſferre putans patiatur extrema an expectet, niſi quod dolendi eſt modus, non eſt timendi, occupato Vezeli oppido nova molitus eſt ſatis infæliciter: nam & regio ad officium reducta & ipſe comprehenſus Viſſegradi carcere preſſus eſt, nullum calamitatis ſolatium, habens præterquam noſſe ſortem ſuam. Moravia tamen pacata filium Mathias Georgio reſtituit, qui dehinc quia & proprior immineret, & beneficium accepiſſet in Mathiam ſubſtituendum non diu victurus valde propendebat. Erepto Pogyebradio in Comitia Bohemorum ablegavit vellent ſibi Regiam dignitatem aſſerere: Sed ipſo repulſam paſſo competitori Uladiſlao Caſimiri Poloni filio poteſtas decreta. Mathias excandeſcens Bohemiam ex Moravia longe lat que vaſtat: & quia jam Rege Catholico Pontificis in juvando manus remiſſæ fuerunt, & Turci ad Savi ripam Sabaczium muris ſepiverunt inter dubitationem & moras nihil effecit. Accedebat majus malum utroque, quo coortis ſeditionibus proprio de regno periclitabatur. Proceres, & Pontifices

tifices de Casimiro Regis Poloni filio in Regnum evocando adeo conspiraverant ut è septuaginta Dynastiis (vulgo Comitatus vocantur) vix novem in fide manserint. Sed hoc minus: quales socii id nefas aggressi. Vitesius Archiepiscopus in partibus, Jani Pannonii, Emerici Scepusii, quæ regni insignia Mathiæ tot beneficiis valida immanissimi facinoris satellites fuere. Horum multas animi corporisque bonas artes avaritia præpediebat: extraordinariam enim dicam, & Episcoporum proventus in bellum tractos ferre non poterant. Actum erat, nisi mature scelus detectum fuisset: Mathias quia vi non poterat, timens eos quibus terrori & bono esse solebat, promissis perduelles sedavit. Cum enim Casimirus jam inescatus Nitriæ & Vaciæ castra admovisset, magnificeque excepti fortunam quisque sequeretur, Rex à Buda Strigonium ad primam motuum famam venit, veniunt bello accusurus: ibi per Emericum jam sanum, Patrem Archiepiscopum ad cujus lubitum conjuratio redacta erat, sibi reconciliat, & immunitate intra triduum redeuntibus promulgata, æmulus Regni solus cum suis relictus est. Casimirus ope destitutus execratur Hungaros & fidei quorundam, quantum sit tribuendum postquam victus est se percepisse indolet: Sed frustra. Circumventus enim Nitriæ cum septingentis modo effugit, ex-

ercitus quia fidei nomine excurſionis datæ non ſtetit, magnam partem trucidatus; nec æmulum in Poloniam Rex perſequi deſtitiſſet niſi Pater miſſis qui ſe interponerent legatis mitigaſſet. Nihilominus Mathias injuriæ memor, poſtquam rebelles multavit, in quibus Viteſium qui ex intimis Regis ab amicitiá ejus defecerat, & Janum Pannonium, capta occaſione ſub montanam Poloniam expilando vindictæ litavit. Nec hic ſtetit indignatio Saganenſium Ducem ad Frauſtadium Sleſiæ finitimum infeſtandum incitavit: mox quia Uladiſlaus duabus ſe ſpoliatum provinciis ægre ferebat, in apertum bellum erupit Mathias Caſimiro ejuſque filio in Sleſia occurrit, & impar viribus: conſiliis pugnavit. Suis enim ad Uratiſlaviam vallo carris, & foſſa munitis novam de Caſimiro victoriam commentus eſt, pugnæ diſcrimen non immittere. Itaque per Sleſiæ ſylvas, per ſaltus illos, & montes ſic hoſtem maceravit, ut quum viribus frangi non poſſet, cunctatione, fame, & eruptionibus cominueretur. Et quia magni exiſtimabat ſuperbum hoſtem in ſua Polonia debellare, Stephanum Scepuſienſem, & Paulum Kiniſi in Poloniam per literas expedit. Magnas illi terras ad Craccoviam vaſtarunt & inſigni Reginam metu concuſſerunt, ut inhærentem Sleſiæ ſuæ Caſimirum extorquerent. Tot malis ergo victus Polonus

nus & Moraviam Slesiamque frustra tentavit, & Lusatiam titulumque Regis Bohemiæ Mathiæ permisit. Eadem pactione sopiti motus Crucigerum Prussici; quos quia ad bellum Marhias incitaverat, pactione comprehendi voluit. Dum in extremis finibus peregrinantur arma, Turci Pannoniam valde incursarunt. Solymannes Romaniæ Beglerbegus centum millibus ut scribitur, sane & Turcici annales magnum militum fuisse numerum scribunt ingenti suorum strage Iscodaram frustra tentavit. Flexit igitur exercitum in Moldaviam: sed eum Stephanus Vayvoda vir fortissimus aliquanto gravior dum contemnitur, horrendo prælio ita percussit, ut vix vestigia tantæ molis superessent; nec quicquam in Beglerbego speciosius erat quam quod à Moldavo victus est. Mathias tempore utendum ratus Sabaczium obsedit; varia hic utrinque pugna nec nos incepto desistimus, nec Turci facili cedunt. Audax ibi facinus Regis, multoque magis ad famam temeritatis quàm gloriæ insignis. Nam habitu gregarii militis cymba arcem prætervectus est: & quamvis socius glande petitus occubuisset, ipse peculiari (quam Reges plerumque Comitem habent) fortuna servatus est. Interim simulans discessum castrenses inescatos aggressus vicit, arceque potitus est: Quam ille Savo circumducto firmissime munivit. Inde subsidiis

pecuniariis à Pontifice auctus Sunderoviam usque cuncta vastavit, eique opportuno tempore occupandæ tria castella erexit.

CAPUT XVII.

Mathias bellum moliens ab Uxore emollitur. Moldavia rapina fit Turcis. Bellum cum Friderico Cæsare. Fœdus cum Bohemo renovatum. Et Solimannis in Illyrico, Alibegi in Transylvania clades. Mors Muchemetis, filiorum Stephani dissensio. Bellum in Cæsarem, virtutes Mathiæ, & mors.

NE quid autem quietis perfido hosti detur novam expeditionem in Danubio molitur. Addiderat animum recens victoria: Cum enim Alibego quatuor se millibus Temesvariensem agrum depopulantem Lupus Despothes Stephani ab Amurathe occœcati filius Vir fortissimus, & Albertus Nagy ad Pozazin oppidum victo, captivam multitudinem extorsissent nihil non ausurus videbatur. Plurimum consiliis obstiterunt nuptiæ Beatricis Reginæ, quæ passim per Venetos, Dalmatas, & Carnos honorifice excepta in Hungariam pervenit. Albæ ea coronata est, & Budæ nuptiæ peractæ. Ad cujus solemnia Proceres passim concurrunt, hic & ipse

ipſe & exercitus valde elanguit, cumque nihil timeretur grave interim vulnus inflictum. Stephanus enim Moldavus qui nuper Turcos ceciderat, à Muchemethe Hungaris præſentium incurioſis, quamvis acriter rem gerens, ad extremum non tam victus quam obtritus eſt; & Regnum rapinis exhauſtum: Inde ad Moravam pergens caſtella nuper ad Synderoviam erecta occupavit. Nec Mathias tanta amplius ſollicitudine rem agebat; cui Regina idem fuit quod Hannibali Capua. Plurimum autem promovit hoſtem, bellum cum Friderico: quod diu diſſimulatum velut ex torrente erupit. Cauſæ perhibentur partim vetus odiũ, ingratitudo, obtrectatio Imperatoris: partim promiſſi bello Bohemico annui proventus Auſtriæ denegatio, agrorum Hungariæ vaſtatio. Moverat præterea quod Antiſtes Strigonienſis Johannes Alemannus, ad Imperatorem profugus Archiepiſcopus Salczburgenſis renunciatus fuerit. Mathias Auſtriam ingreſſus Trauterſtorphium, Peterſtorphium occupavit, Raſcianorum potiſſimum opera regionem crudeliter habuit. Quamvis autem jam Viennam clauſiſſet, Cornaburgum ab altera parte, & Clauſtrumburgum ad Tulnam uſque occupatum eſſet Imperatori à ſanguine pluſquam decebat alieno, de fœdere quam bello agere placuit. Nec Mathias abnuit, ſive reſpectu, fragilitatis humanæ,

næ, seu nimiam prosperorum suspectam habens continuationem pacem fecit. Patris, & filii fœdera renovata, tota Austria Imperatori reddita. Hoc bello Regi Pontificis, & Venetorum stipendia ablata; qui cives Christianos una voluntate consentire quam armis contendere volebant: inde Venetorum res non curatæ, societati semel initæ renunciatum, & auxiliis Veneti destituti Crojam, Schodram, Tænarum promontorium pactione satis inhonesta centum annorum Turcis permiserunt. Mathias nuperæ paci cum Uladislao Bohemo confirmandæ conventum Olomuczii indixit: duo Reges splendidissimo apparatu confluunt. Ædes hic mirifico luxu; triclinia strata, theatra erecta, & magnus applaudentium chorus. Dum fœdus percutitur magnificis se invicem donis duo Reges ornant, & congiarium populo large præbetur: Solimannes Bassa Romaniæ Beglerbegus alias quoque relatus relicta Morea Ungariam aggressus est; & siccitate anni adjutus Savo Dravo per vada transmissis ad Castrum usque Ferreum cuncta populatus triginta millia captivorum abduxit. Rex nuncio malo tum attonitus, ad liberandos suos omni fertur cogitatione; insequitur ultra Jayczìam ad campum Greben. Inde sexdecim millia selectorum amandat, qui & Turcos cædant, & Buxbosigniam, (quæ & Burgosin inter Di-

dyncothe

dyncothe, & Stribabam) pari ferocia expi-
lent. Hi ad Verbos Illyrici oppidum Beg-
lerbegum præda onustum obsident; & bar-
barorum maxima vis uno concursu prosterr-
nitur, ut quamvis Basseus exercitum repa-
rasset solo metu secundum trecentis Chroa-
tis terga daret; & Illyricum ad triginta mil-
lia passuum vacue factum. Nec deerat spes
ejus triumpho Illyricum assignare, dum
Cæsar Jauriensem agrum vastans, & Re-
gem Zagrabiam revocavit, & is Mariabur-
go obsidendo pertinax vix à Pontificiis, &
Cæsarianis legatis ad inducias flectitur.
Muchemethes Iscodara capta Constantino-
polim reversus erat, maculæ autem abolen-
dæ Alimbegum, Isambegum, & Balimbe-
gum in Transylvaniam cum sexaginta mil-
libus ablegavit. Stephanus Bathori Vayvo-
da Transylvanus, & Paulus Kinisi Temes-
variensis Comes rei admonentur, castra
passim muniant, mature prælium cogitent.
Turci Transylvaniam ingressi, cuncta pro
more ad Albam usque Juliam diripiunt,
immisso incendio delent: Stephanus ex Un-
garis, Valachis, Siculis, & Saxonibus va-
lidum coegit exercitum, suadensque suis
arma, & animus sit; sibi consilium, &
virtutis regimen non defuturum: effugiet
mortem quisquis contempserit vitam; timi-
dissimum quemque consequetur, in Ken-
yermero sive panum campo tertio ab Alba
lapide

lapide concurrit. Diu pari vi certatum, & Marusius æquato sanguine rubefactus: donec Kinisi altera ex parte unum augurium optimum pugnare pro patria clamitans irruit, unde spe omni hosti ablata locus triginta millium Turcorum cæde nobilitatus est: illudque Hungarorum nomen ut quia Hydruntum in Apuliæ angulo quod hodie Otrantum à Geduce Achmethe Bassa occupatum erat; & Italia eo metu perculsa, ut vix Pontifex Romæ suæ fideret; ad Mathiam suppetiarum ergo confugiendum esset. Cujus milites Blasio Magyar, & Johanne Nagy Ducibus in recuperando plurimum præstiterunt. Eodem anno Johannes Arragonius Cardinalis Strigoniensem Archiepiscopatum à Mathia accepit. Alemannus eum ferre nolebat: hinc lites. Nullo enim jure Pontifex ordinandis prælatis se immiscebat, cum illud peculiariter Stephani Primi sanctitati olim tributum fuit; ut solus Rex constituet Antistites in Hungariæ Regno. Nec Muchemethes diu supervixit; cujus filii Bajazethes, & Zemes (Bonfinio hic vocatur Csiliabus quod corruptum ex Zelebi voce nobilem denotante) inter se dissentiebant. Mathias occasione utendum ratus de fœdere Cæsarem sollicitare: sed dum is cunctatur Zemes à Geduce Achmethe cæsus, ad Sultaninos Ægyptios fugit: Quorum ope frustra vires reparavit: nam &

secun-

ſecundam, victoriam tradidit, & ad Rhodiorum Magiſtrum ſolus effugit; qui poſt in Italiam deductus ab Alexandro ſexto occulto ut ajunt veneno ſublatus eſt. Mathias furens de occaſione erepta in Auſtriam movit. Hamburgum quamvis firmiter munitum cepit; dumque alibi duobus præliis primo Kiniſi, ſecundo ad Hunnum amnem Frangepanes, quo utroque Lupus Deſpothes mira fortitudine rem geſſit, Turci percutiuntur: Contra à Bajazethe bis horrende Moldavia vaſtata Chilium, & Moncaſtrum occupantur; Pruchum, Cornaburgum ſubjecit. Viennam mox obſedit: Urbem opibus elatam, operibus clauſit, omnique commeatu privavit, vineis ac teſtudinibus conſtitutis ſemeſtri obſidione expugnavit. Nec ſecius Lavam, Egnburgum, Rhætiam, Neapolim quam per Scepuſium anni obſidione fatigavit in poteſtatem redegit. Vienna capta Rex quinque annos quibus ſupervixit, conſtituendo imperio addixit; pronos in omnia mala, & in luxuriam fluentes Hungaros gravibus, ſeveriſque legibus coercuit: In ſtudia proclivis fuit, magniſque honoribus doctos excoluit, ædificia varia erexit: imprimis Regiam luxurioſius quam ſui pateretur ex ferrea auream conſtituit. Cogitabat & Budæ vicinias Italice excolere: firma pace Auſtria cedens omnes adverſus Turcum vires movere; augebant animum varii

orbis legati, inter quos Sultaninorum Ægyptiorum, qui Circassiorum maxime Mamelucorum ope primo prælio Ferhatem Caramaniæ Beglerbegum, & Carachosam Begum; altero Cheserbegum & Achmethem Herzicogli sive Ducis filium, Stephani nimirum Bosznensis, de quo supra adeo ceciderunt ut non à Temire similem Osmanidæ acceperint cladem. Hæc cogitantem mors prævenit; morbo enim aggravante, maxime podagrico solutus est. Magna Viro apud omnes auctoritas, laus rei militaris maxima & pacis artes justæ. Hinc grande ejus desiderium apud posteritatem mansit per memoriam virtutis, & successorum segnem innocentiam.

CAPUT XVIII.

Uladislaus successor frustra aliis aspirantibus. Corvinum reconciliat. Albertum fratrem cadit Contra Maximilianus totam Austriam recipit: in Hungaria varias arces capit, quibus ejectus pacem facit.

A Morte Regis Johannes Corvinus consuetudine ad imperii cupiditatem trahebatur Hunc Mathias ex pellice natum sobole destitutus in potestate sua fictum magnis hono-

honoribus in ſpem Regni cumulaverat. Aderant legati Alberti Poloni, Uladiſlai Bohemi; Maximiliani Romãni Principum ad Regnum Hungariæ aſpirantium: ii cum univerſi metuerentur, ſingulis competitoribus contermini ſinguli varie favebant, donec Uladiſlai Bohemi factio mille precibus & artibus Beatricis, quæ eum vel Mathia vivente deperibat; judicio tamen Dei conjugio privandæ vicit. Corvinus avidus imperii, & præceps ad explendam animi cupiditatem quamvis ob injuſtam geniture notam deſperare cogeretur paucorum ope caudam movit. Et ille vi regere patriam aut parentes volens, quia favore non poterat, quamvis pactum inivit ut diademate, Regiiſque arcibus traditis Boſſenæ, Chroatiæ, & Sclavoniæ Regulus audiat; à Banis nominatorum Regnorum qui propediem adfuere adeo inſtigatus eſt. ut poſtquam libido, bono honeſtoque potior erat ultima tentaret. Bani exercitum in citeriorem Danubii ripam trajicientes conſilia tam ſibi, quam patriæ inimica capiebant, & divina humanaque permiſcendo eo vecordiæ proceſſerunt, ut civilia mala vaſtitas Regni, & fortuna adjacentium ſequerentur. Proceres ad Peſthum congregati rei novitate territi Stephanum Bathoreum, & Paulum Kiniſi armant: Illi contra pacificis verbis rem eo perducunt ut Stephani Scepuſii qui Auſtriæ præerat ju-

dicio ſtetur. Et is quidem ut Bohemum vel vi ſe introducturum ſignificaſſet Corvinus conſternatus eſt:mox per Sigiſmundū Quinque cleſienſem antiſtitem,& Laurentiū ante per virtutem antevenire nobilitatem ſolitos, furtim latrociniis, quam bonis artibus ad imperium evehendus tanta Juveni fiducia ut ne bis pacata, bis prodita quidem conſpiratione commoueretur; Validum exercitum conſcribit: occurrunt Bathori, & Kiniſi ad Sarvizum non procul à Cſonthegy ſeu monte oſſium: Lamentabilis utrinque cædes, paſſim frater ſanguinem proprium perditum ibat, exitus fœdi truces, miſerabiles toto Regno debacchantium. Sed ad extremas Corvinus redactus incitas Quinqueclesias effugit, & theſauros ejus diu congeſtos milites diripuerunt. Ita hac in parte ſedato Regno Uladiſlaus publice Rex proclamatur, & legati alienigenarum minitabundi diſceſſerunt. Sat bene tamen brevi inter Primores convenit, nam & Corvinus ablata recipiens diadema reddidit, & Uladiſlaus apud Albam coronatus rebellibus veniam conceſſit. Accepto imperio duæ occurrerunt expeditiones. Albertus frater malo potente ſanctum fœdus naturæ vinculum abrumpens jam Szibinium Fragopolim, Caſſouiamque ceperat. Nec ſibi Rex deeſt: & quamvis ſæpe de pace laboratum eſt trepidantibus Polonis inter belli ſcelus, & pie-

tatis

tatis affectum à Casimiro communi Parente confirmati pugnæ discrimen immiserunt. Prægravante Uladislao cum & Cassovienses defecissent, & quod maximum causa certaret frater profligatus est. A victore Albertus quasdam Slesiæ civitates accepit, aureos ter mille præter ea annuos stipulatus. Sed impetu quam consilio rectus secundum tertiumque insurgens simulatione mortis Uladislavi, secundum ab Hippolyto Antistite Strigoniensi, & tertium ab ipso Rege fortiter Regno ejectus est. Major erat Maximiliani impetus: Viennenses enim alienigenam dominum pati nolentes, Cæsaris copias admiserunt: Scepusius rebellione visa, qui adhuc arcem tenebat, suos animat, & sub specie ferendæ opis, revera urgente metu clam excessit. Ita Vienna & pauco tempore propendente subditorum animo. Neapolis totaque Austria veterem repetivit Dominum. Ulterius Maximilianus pergit, & hactenus suis aliena addit. Veszprimium usque excurrit, idque una cum Alba Regali capit. Actum erat de Uladislao, nisi miles Germanus cui virtus magna alias & exacta domi militaris disciplina, nullum majus periculum impendet quam si extra fines patrios maxime in Hungariâ bellum habere cogatur stipendii impatiens & moræ infrugiferę seditionem movisset. Jam nervus belli Regem Romanum jam suorum rebellione

fortuna, nondum animus destituebat: Sigismundum Quinquecclesiensem de triginta millibus aureum nummum orat. Sed quoniam is quamvis promissis oneratus datam electo Regi fidem fallere noluit, & Uladislaus magno apparatu sequebatur in Austriam recessit. Hic porro Albam Regalem, reliquumque Regnum usque ad Sabariam Vasonque oppidum recepit. Non minus cum Turcis ingruit malum quibus cum perpetuum bellum aut cædimus, aut cædimur: cum enim Nigritæ milites validissimis, & pernicissimis corporibus, armis aptis animis ad subita semper imperia paratis inauctorati essent, & Kinisius ad Albam Regalem comitiis intenderet Sabaczium obsederunt, duo Albæ Græcæ propugnacula ceperunt, tota titubavit. & Varadinum usque tractum civili motu varie pendentem crudeliter everterunt. Quare placuit fœdus cum Maximiliano percutere, idque satis fœdum: ut Rex Austria Carinthia Carniola, Styria à Mathia occupatis cedat, Chroatiæ & Slavoniæ aliquot castra tradat; Cæsar vicissim præsenti bello in Hungaria occupata restituit; additum est prout cum Mathia initum erat de succedendo pactum.

CA-

CAPUT XIX.

Beatrix Regina rejicitur. Bajazethes Hungariam ingredi non audet. Drencenus à Turcis cæditur, quam cladem Kinisi resarcit. Regis segnities; nulla auctoritas, ad extremum frenorum morsus rusticorum insolentia & Regis mors.

BUdæ in Comitiis de Beatrice copulanda actum: at quia illa sterilis erat reclamatum, & Pontificis auctoritate repudiatæ Anna Principis de Gandala filia prælata est. Bajazethes interea terra Istroque apparatum habuit, contra quem arces finitimæ muniuntur, Severino, Sabacziæ, & Jaycziæ duplex præsidium imponitur, sexaginta millia hominum conscripta, & summa rerum Kinisio permissa. Bajazithes Sophiam, inde Hadrianopolim venit. Sed Hungariam ingredi non ausus, Dandem Bassam Uscopiam misit, ipse Maxastinum concessit. Albaniam lacessiturus. Ad inducias Regem tentat quæ & compositæ: Sed amicitiam utilitate non fide colens duos Bassas, alterum in Valachiam, alterum Severinum obsidendum misit; quorum ille Vayvodæ, hic Kinisii viribus qui præterea Bohemos ad tutandos

contra Turcum fines missos cum intolerabili avaritia & libidine in obvia grassarentur horrenda strage cecidit; repressi sunt. Johannes Corvinus Chroatiæ, Bossenæ, & Dalmatiæ Regulus postquam à Jaicia fortiter Turcum repulit Frangepanum aliorumque indigenarum impotentiæ pertæsus imperium resignavit. Rex Emericum Drencenum Ciliæ Banum suffecit. Hic Berardinum quatuor castellis exutum, ab obsidione Segniæ repulit, Frangepanum longe insolentiorem in arce Brevia obsedit: & is tam causa, quam numero impar rebus desperatis proximi Bassæ auxilium imploravit Jacupos Aga Eunuchus occasioni inhians Carinthiæ & Carniolæ fines furibunde vexavit, cum octo millibus per Chroatiam; & Germaniæ fines magnas abegit prædas. Drencenus concilato Frangepane fidem quam vim experiri mallet, Bassam cum quadraginta millibus ut Turcici Annales volunt Bonfinius septem millia fortissimorum; & inconditam rusticorum multitudinem, quæ non tam proderat, quam oberat fuisse scribit. Cum in arenam descensum est Frangepanus instabilis simul ac timere desiit cum suis Banum deseruit, & à Jacupe exercitus cæsus, ipse Drencenus in hostium manus pervenit. Rerum male gestarum causam quod in adversis fieri solet. Proceres in Regis segnitiem retulerunt; cum ipsorum avaritia

ritia malorum omnium causa tantopere laboraret ut vix quotidiano victui ex dignitate satisfaceret: causa ei paupertatis sicut plerisque nimia probitas erat; unde imperium nihili fiebat, qui vel Palatinum ab obsidione arcis Zombor Corviniani avertere; & ab eodem Corvino per Episcopum Zagrabiensem vi alienata, restituere nisi Juvenis propria virtus ultionem peperisset, non quivit. Hæc enim & similes turbæ dum referrentur, ignarus Hungaricæ linguæ eoque contemptibilior nil molitus, nisi quod responderit Dobrse, Dobrse, (quod idem est quod bene bene) unde & Dobsa Laszlo vocatus est. Ditissimus quisque humilitatem ejus criminabatur, qui tamen primum ea patientia tulit, ut nihil habenti, nihil deesse videretur. Fertur aliquo tempore per fabricas & triclinia Budæ commeans, conspecta effigie Mathiæ dixisse; Vere bonus hic erat pastor multas & pingues nobis reliquit oves; & Laurentium Ducem reposuisse Marcus erat non Lucas indigitans. Martis Alumnum non pastorem torpidum Mathiam fuisse. Interim Kinisius nuperam cædem resarsit: profectus enim in Mysiam cum decem millibus duo castra expugnavit, eorum prius Chroatæ fortissimi ingenti animo: qui solus ad muros hostem sustinuit, dum socii adessent. Neque hic stetit ultio: post secundam hostium irruptionem Regem qui ex Transylva-

nia rediens ad se diverterat, expugnat, validioribus armis Turcos coercendos. Rex ad Varadinum Petri perveniens cum quatuordecim millibus Paulum in Serviam amandat: Qui hilariter verbis exceptis usque ad Syndgrovię suburbia eo Turcos terrore perculit ut vel Constantinopoli trepidaretur. Nec diu Kinisius superfuit: qui ratione præsentis status alter Hunniades ex febri vitam clausit. Usque adeo autem Christianorum cædes ferre non poterat, ut audiens Hungaros quosdam in auditis cruciatibus enectos: Turcorum alios lento incendio conficeret, aliorum manus revinciret ut suum fame maceratorum laniatu interirent. Rex ad extremum à suis monitus severitatem prosperis consiliis intendit. Chroatos nuper seditiosos imprimis Petrum Colocensem Archiepiscopum, & Laurentium Ducem Syrmii in cujus agro Quæstor Regius occisus erat varie afflixit hunc Vylacho Rohocsio Nemethuyvaro exuit, & vinctum captivitate constrinxit Budensibus comitiis in gratiam receptum. Ita mala hæc sedata, & triennales Selymi qui Bajazethi Patri imperium eripuerat inducię aliquid quietis subministrarunt. Sub hæc Johannes Corvinus obiit, vidua Georgio Marchioni Brandeburgico nupsit, cujus luxu intolerabilis viri nihil bonus homo præter divitias amavit. Sequuti sunt Corvinum Petrus Gereb Palati-

nus

nus cui suffectus Emericus Perenyi, & Stephanus Moldavus rebus contra Turcos ac Tataros præterea Mathiam uno & ut sic dicam non toto prælio gestis clarus; quem Bogdanus excepit. Inde Budæ factione Zapoliani Vayvodæ, & eloquentia Verbeczii agitur de regno in exteros non transferendo parvo cum fructu. Rebellant & Siculi, qui cum filio Regis oblatos singulos boves domatim denegassent, exactorem præterea cecidissent: à Paulo Tomoræo superati sunt: & ex actoris cædes auctorum cæde expiata. Nunquam tamen magis decepti sunt Hungari quam cum ob injectam à Selymo pacis mentionem aut spem primum ardorem remiserunt. Universa enim regio ad Dravum usque Turcis prædæ fuit. Præterea, ut malum cresceret, secunda rusticorum insolentia magnis Primorum Regni cladibus nobilitata est: Nam Thomas Strigoniensis Præsul Papæ instinctu, ne Italiæ suæ cladibus pax Hungarica staret, validam in Turcos contraxit manum; quæ pace cum Selymo firmata nullius erat usus Crucigeri ergo Duce Georgio Szekhely cujus virtus maxima tum commemorabatur commeatus egeni, graves esse in Nobiles cœperunt: quibus rustici ultro conjuncti omnia quaquaversum deprædati sunt. Feruntur uno quadrimestri septuaginta hominum millia occisa, ut facile æstimare possis qualis ista cruciatorum

ſanctitas jam appellabantur, vita. Molem tamen ſceleratorum, quantamcunque Johannes Vayvoda Tranſylvanus intolerabili fame perdomuit; Ducem ipſum immani ſpectaculo captis devorandum propinavit. Uladiſlaus arctius cum Auſtriacis fœdus pacturus, cum Sigiſmundo Polono Maximilianum Viennæ convenit: ubi Maria Cæſaris ex Philippo neptis Ludovico Ungari filio deſponſa; Anna porro Carolo vel Ferdinandinando, cum pacto de ſuccedendo non extantibus liberis. Obloquitur Perenyi, & quum nec èquo inſidere, nec pedes poſſet, incedere, per fora, & plateas Poſonii circumvectus: clamat Regem ſolum contraxiſſe, nec jure valere; cui Proceres, ipſe imprimis non eſſent aſſenſi. Reprehenſione nihilo melior, ad extremum largitione Saroſſii tentatus, & perſuaſus tam opportune moritur, ut diplomati ſubſcribere non potuerit. Vayvoda porro Szekhelyi oppreſſione altum ſpirans Cavallam, ſive Sarnonem Turcorum obſedit: ſed quamvis duplo ipſe præſidio eſſet fultus. tam turpiter fugit, ut Balybego Samandriæ Præfecto nec expectare auſus capienda tormẽta relinqueret, niſi Michaelis Praxii virtus iis recuperatis hoſtem ſuſtinuiſſet. Nec diu Rex ſuperſtes fuit, qui ad ocium, quam gubernationis molem maxime inter effrenatos Hungaros aptior; vel ex mœrore, vel deſtinato rerum humanarum curſu interiit. CA-

CAPUT XX.

Ludovicus Juvenis à suis negligenter habetur: Soliman tota regione ultra Dravum potitus, ad Mohacsium Hungaros sternit; ubi & Rex cæsus.

ULadislao excedenti Ludovicus filius subrogatus est: cui secundum contractum Imperatoris Maximiliani, Maria soror Caroli quinti nupsit: in hoc omnia, genitura successio, barba, conjugium, & mors præcocia fuerunt. Moritur & Maximilianus cui Ludovici, maxime Saxonis Friderici suffragio suffectus Carolus V. prout apud Turcos post impetratas per Barnabam Bellajum octennales inducias Solymannus regnum auspicatur: ita divino consilio provisum, ut duo magni Principes eodem tempore orbem moderarentur, ut quisque eorum æmulatione, aut metu æmuli contineretur; & alterius virtus contrariâ alterius virtute, quo minus se effunderet inhiberetur. Eum Solimannus Selymi successor, nihil difficilius sciens, quam in tanta ætate tantam capere fortunam, rogavit; pacem certo precio mercaretur. Cui ut injustæ petitioni, cum refragarentur Hungari: Solimannus Regnum

gnum vastavit: Moldaviam, & Valachiam Transalpinam Hungaris abstulit, & maximam Sclavoniæ partem occupavit. Nam Zrebernicum incuria Thomæ Mathusnaji ultro ei se dedidit, nec secius Tessenium, Szokolyium, Tininium & Pethium: ne Jaiciam caperet Petri Keglevitii virtus obstitit. Contra hunc collegit Rex sexaginta militum millia: sed præ ærarii angustia, suorumque dissensionibus (usque adeo dum ingruunt mala sine dolore interimus) dissoluti sunt. Sulyman Sabaczium Samonium cepit: & quamvis Piris Bassa qui in Syrmium vastandi ergo missus fuit. Stephani Bathorei, (qui palatinus regni erat) viribus profligatus est: secundo divina & humana cuncta miscens Belgradum toties defensum incuria nostrum, cum Andræas Bathori, perfidia Emerici Enningii Turci, & Francisci Hedervari ab eo exclusus esset occupavit. Berhamum Chausium ad Ludovicum Sulyman pacis ergo miserat: sed juvenile Regis ingenium, alias quoque ad ludicra per Georgium Marchionem avocatum, suasu pessimorum, in eam perfidiam adductum est: ut legatum ad Tatam interfici clam juberet & ne vestigia cædis extarent piscinæ injiceret, cumulatissime pœnas & ipse leganti luiturus. Nam quamvis dum Rhodo Sulyman intendit, Ferhatem Michaelem Begogli Tomori percussit & Usressus Verbosanus à

Jaicia

Jaicia Christophori Frangepani audaciâ rejectus est, qui non prius Turcos cædere intermisit, quam castris exueret: Imperator sequenti expeditione Severinum expugnavit. Quia porro fatum urgebat dissensionibus agitabantur Hungari: Verbeoczius, & Zobius coacta multitudine incolas ad rebellionem concitant: & Verbeoczi occasione Pesthani conventus Magistratus ejecit dignitatem Palatinatus Bathoreo ademptam in se transtulit. qui brevi & ipse proscriptus, & Bathoreo dignitas restituta. Quin emersere & Protestantes, dum enim Lutheri libri passim leguntur, in quibus is interdum & vehementius invehitur; in Pontificem; multi perterrefacti ultro solium Papale abjurarunt. In hos graves sententiæ sunt latæ; ut passim haud perinde in crimine, quam odio generis convicti, prehenderentur, & flammis ustularentur. Sed frustra cûm enim ad Bodrogum Prinyii, ad Chrysum Nadanyli primi Euangelicorum susceptores, fortiter Protestantes tuerentur, & majus periculum impenderet, quaquaversum doctrina propagata est. Dum ita varie agimur Solymannus ingentem expeditionem sumsit Chausium ulturus, quæ ignorata terrebat magis, dum minus præcaveri poterat. Ludouicus quamvis nullas haberet suppetias, suorum viribus obviam procedit. Duces belli Archiepiscopus Colocensis Paulus Tomori

&

& Georgius Zapolianus : Curæ eorum demandata viginti quatuor millia. Johannes Scepusius, & Frangepanes hortati Regem vellet se in interiora Regni recipere, dum singuli congregentur : universi vel opportunius bellum, vel tutius effugium quæsituri. Alii Regem abesse exercitu volebant, quibus certum erat quod se victis, Rege salvo Regnum maneret : iis Nobiles superbia inflati communi ejus ordinis malo reclamabant : his ergo repudiatis, nimius ardor uti alias magni ingenii est index, ita hic quia rationi non paruit, infœlicis. Palatinus oratione habita congreditur : pugnatum ad Mohaczium adversa nostrum fortuna : fusi fugati Hungari : Rex cum Prælatis Proceribus, & pleraque nobilitate. quibus infame erat superstites Principi recedere interiit. Hac clade Buda deseritur ; Regina collectis vasis, & pretiosa supellectile Posonium fugit ; amisso in Hungariâ marito ad Carolum V. rediit, & Belgicis Provinciis annis triginta tribus præfuit, mundi postmodum pertæsa, tam solitariæ vitæ, quam mortis fratris socia. Budam desertam Sulymannus ingressus, omni regione inter Balatonem lacum, Danubium & Tibiscum subversa, Regno quod facile occupatu erat in præsens abstinuit citum regnum cito perire judicans, Portendebant multa infœlicem Regis exitum : quod nulla cure

vel

vel pelle fuit in lucem editus: quam postea Medicis arte naturam juvantibus consequutus est. ipsum Ludovici nomen ominosum, ut (quod tam Orienti, quam Occidenti contigit) prout in Ludovico primo maximam potestatem Hungaria accepit, in secundo deprimatur - accessit spectrum ad arcis Budensis portam colloquium regis expostulans; quod negligentius habitum sine prædicto evanuit. Sed jam quamvis hoc bello nec dum de salute Regni conclamatum erat; fatis admovebantur bella civilia: nam & insociabile fuit imperium; & periculi præsentia jungi non potuit: Ergo primum vires collegit, deinde dissipavit; quando enim duos imperii fortuna non cepit; universi immobiles, dispersi perierunt.



LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Ferdinandus Johannem æmulum in Poloniam fugat: Sulyman eo restituto Viennam frustra obsedit: inde expeditione altera Caroli V. virtute repressus est.

FRanciscus Battyani Banus Illyrici strenue fines defenderat; quamvis subsidia Clementem Papam frustra orasset: qui tum & suæ purpuræ ambiguus à Columniis Proceribus obsidebatur. Johannes Zapolyai Vayvoda Transylvanus stativis ad Szeged, ubi dum ad Mohacsum depugnatum est moram traxit pellectis Proceribus Budam venit. Perenyium Saros Patacho Antonii Palocsi (erat hic cladis socius) & Transylvaniæ Præfectura auctum, tradat coronam induxit, multos ex primoribus comites Albam duxit. Habito conventu Verbeczius in præsentem rerum peroravit, & creduli dictorum Johannem Regem clamant, præterito Ferdinando, qui tum multorum favore, tum conjugio Annæ Ladislai Filiæ sibi Hungariam asserebat. Johannes

hannes mitiora, non consultiora sequuta consilia, nec terrorem Austriȩ inferendum à Frangepano persuasus copias dimisit, largitione non vi Regnum firmaturus. Palatinus Bathori perpetuus Johannis hostis contrario ad Posonium conventu Ferdinandum tuitus est, Perenyius coronæ custos minus fidus in Saros Patach confirmatus, Alexii Turzonis ope partem deseruit diadema, & regalia insignia Germano obtulit: Ferdinandus Rex proclamatus rogatur, animus ne desit, vires & copias non defuturas, accurrit Ferdinandus de manu Pauli Vardani tum desciscentis coronam suscipit; Hungariam quod sit in civili motu pendentem confirmavit. Johannes cedere coactus fidos sibi Franciscum Drugeth, Lucam Kismarjai, Blasium Attandi ad Gubacsium convocat, quibus diffisus Tocajum recessit, Johannis Nigri viri servilis Jeniceris intenturus: quos dum conficit Caczianerus & Felsius Bodonem, & Bakitium ejus duces ad Tocajum cruento prælio vincunt; plurimi tum ex his cæsi, alios Tibiscus absumsit! Victus Johannes vinci animo non potuit: Bodo, Bathori Somlianus, Kunus; Cibacus (huic ex Ciboa familia Liguri: Temesvarum, & Varadinum erant credita) concurrunt; sed à Caczianero pugnæ potestate facta secundum ad Hernadum cæsi, castra Regalis opulentiæ hosti reliquerunt; Tocajum.

Agria

Agria, Hatvanum & cuncta ad Budam usque Ferdinandum agnoverunt. Johannes apud Drugetum exitum belli præstolatus, Johannis Tarnovii Castellani Craccoviensis hospitio locũ mutavit. Connivit Sigismundus Rex Polonus, Vayvodæ sororis maritus ipsam opẽ denegavit, cui fœderis cum Maximiliano pacti summa religio. Kaczianerus Scepusium unde Johanni cognomen, Trincsinium desperabundus ferme igne tectis injecto occupavit. Nec fœlicius Frangepanus partes in Illyrico tutatus est; qui Banfio, Tahio, Hampone sociis, Pecrii arces Rasiniam Custerovicium Pecretium, Petroviniam quamvis expugnasset: Pecrio è sylva evolanti cessit. Reparat vires loca ad Dravum occupat: Battyaniũ Carlovitium, Zlunium, Keglevitium Zrinyianos solo nomine fugat: sed dum Varasdini arcem obsidet gnaviter se defendente Paulo Caprario glande plumbea ictus, constanti in Johannem animo, dolore dissimulato, vel victo mortem oppetivit, & Ducis casu totum Illyricum Germano assertum. Ita regno in ipso regno Regem quærente Mehemethes Jahioglis Belgradi ac Samandriæ Præfectus, Usreffus Verbosanus, & Amurathes Auranensis diffidiis ac defletis rebus utendum rati Jaiciam imbellis Præfecti Stephani Gorbonocci inconstantia subjecerunt: eam sequuta Belajesserum. Orbavacium; Socolum, Levacia, Cserepvar Aparucia

Perga,

Perga, Broſſacium, Grebenum, & Banyalyuka Turcis acceſſerunt: nec Urbina, Licca, & Caibava arces diu ſe tutatæ, quarum Dominus Carlovitius, ultimus Torquatorum, animam Medvevarii exhalans, quantum per hoſtes licuit Zrinyios ditavit. Johannes multam in partem verſatus per Hieronymum Laſcum Siradienſem Palatinum Turci clientelæ ſe obtulit; Uſus ad rem perficiendam diligenti opera Ludovici Griti; Andreæ Ducis Veneti filii, erat is rei modicus, ſpei immodicus, mixta adulationi ſolertia, honorem & favorem apud portam venatus. Sulyman gloriæ, & territorio amplificandis ultro aſſenſit, Regem Hungariæ, dediſſe, patrocinio Regnum quæſiiſſe, beneficio quam metu homines obligaſſe immortale ducens: Auxit propenſionem Johannes Hobardanſchus Ferdinandi legatus, cui viro immitis animi, dum Belgradum, cuncta præterea occupata petit, Turcus ſuperbiæ natura impatiens ſe requiſiturum Ferdinandum vel Viennæ reſpondit Johannes gemmis & unionibus pignori datis exercitum ſcripſit: Imperator Simon Athinenſis; cui Somlianus Bathori, Kunus Drugethus, Cibacus ultro adhæſerunt; Liſcanum & Revajum Ferdinandi Duces profligavit, Lippam progreſſus Sulymanno, qui cum centum quinquaginta millibus, numerus ut mos famæ in duplum creditus ad

Mohacs

Mohacs locum adeo ſibi gratum pervenerat obviam prodivit : Budam Germanorum proditione Præfecto Nadasdio ne quicquam reluctante Turcus cepit quam Johannes Regis ſedem capeſſat juſſus, Regem ſe geſſit Inde hoſtilia arma in Strigonium mota, quod Vardanus Johannis Clementiæ commendatus ultro dedidit; Tata, Jaurinum, Comaromum, Ovarum cunctis Viennæ intentis victori victoriam clamarunt. Viennam aggreſſum gnaviter Philippus Palatinus & Nicolaus Salmenſis Comes repulerunt cum enim & majora tormenta aſtu Ibrahimi in Chriſtianos proni deeſſent urbem menſe integro fruſtra oppugnatam, amiſſis octuaginta millibus, vaſtatiſque late agris deſerere compulſus eſt. Budam reverſus Johannem Regem creavit; Hungaris ni arma ſentire malint obtemperare juſſis : generoſo facinore per manus obtulit coronam ſceptrum cæteraque inſignia nuper in poteſtatem redacta, nam Prinyi eorum cuſtos dum ſolito loco Viſſegradi nō depoſita incautius circumfert, Johannis Teoreok pro Váyvoda niſi virtute comprehenſus, Turco minitabundo traditus fuerat, qui ipſe Grito duobus trierarchis, tribuſque Prætorianorum millibus Johanni datis in Thraciam receſſit. Johannes Comitiis Banfium Palatinum creavit; Illyricum, & ſuperior Hungaria Ferdinandum tuita. Vayvoda Regnum pacaturus

turus Thomam Nadaſdi, cui capta Buda jam undis hauriendo fruſtratis Turcis ſupplici veniam dederat, Johannem Teoreok & Caſſonum Muhammedanum in Valentinum Teoreok: quem dum Szygethi obſident paſſim fortunam ſequutum expedivit: Johannes & Gritus à Gulielmo Rogendorpio Budæ obſeſſi & propriæ ſalutis incerti obteſtantur reditum, latrones perſequendo de vita periclitaturi. Fruſtratis Cæſarianis Budam regreſſos hoſtis arcte preſſit, jamque una cum Rege præſentiſſima fame ſubigendos Mehemethes Jahioglis, Uſreſfus & Johannes Banfi hoſte vel nuncio adventus exterrito liberarunt. Sed Turci ad ſtationes remittendi inutilem militiæ ſocietatem averſati ditionem Matyus; tractum inter Vagum, Nitriam, & Granum flumina crudeliter everterunt; & indicium vaſtitatis miſera plebe ſupplicia Principum luente decies mille ſervi. Cædem, & captivitatem Johannes per feneſtram proſpexit, quam illachrymatus Germanum cauſavit. Nec diu quietus Sulyman: impulſu Galli nuper ad Paviam comprehenſi & dimiſſi à Cæſare ſuæ in eo conditionis admonito; bellum movit: ſed Ibrahimi artibus circumductus ſero ad Mohacſum pervenit. Occurrit Prinyi nec Ferdinando, nec Johanni fidus quod Lutheraniſmum (ita vocatur religio quæ Papales traditiones denudat) longe late-

lateque à Latorcza ad Agriam propagavit; privus beneficiarius fieri cupit: verum Johannis, & Griti largitate, cuſtodiæ Ferhatis mancipatus, magno ſuo bono tandem Johanni traditur. Dimiſſus ſeptennem filium Turco obſidem dedit, qui Mahumethiſmo imbutus quod inconſtantiæ, & ſuperbiæ ſupplicium eſſe poterat nunquam Patri viſus eſt. Melius Gervaſius, & Stephanus Nadanyii Emericum Ozovai, Thomam Galſzecſi, Lucam Literatum cæteroſque inter Chryſum, & Maryſum Euangelicos patientia tutati ſunt. Gritus Turci gratiam occupaturus & pronus in vindictam Præſulis nuper defectionem tentantis Strigonium eventu deteriore quam voluntate tentavit; Nec fœlicior exinde Sulyman Gunczium ſummis viribus oppugnavit. Sed Turci ne pacatum Deum fuiſſe crederes forma auguſtioris equitis in cœlo viſa trepidi refugerunt, nec amplius à Nicolao Iuraſſitio ſtrenue illud defendente extortum, quam ut luna muris appoſitâ vinci poſſibilem ſeſe fateretur. Adſunt ibi hærenti Cæſar & Ferdinandus tantis Germanorum, Italorum ac Hiſpanorum copiis, ut nonaginta millia peditum, triginta equitum caſtris ad Viennam cenſerentur: quare Caſanem Vayvodam quindecim millibus Germaniæ vaſtandæ relinquere, ſibi reverti an refugere placuit; idque bipartito agmine Ibrahimi

aſtutia

astutia facilius casuro. Fugientem Carolus non est insequutus fragilitatis ; & cædium sæpe illatarum memor, an prætextori aliis pro diversitate temperamenti mora crimini habita cum suborto inter milites ut fit ob non solutum salar diffidione in Italiam atque inde in Hispaniam redivit. Infœlicior fuit, nec prorsus pejor Casanis fortuna quem præda gravem, & manu voce, vulnere sustentantem pugnam Fridericus Palatinus auxiliorum imperii summus Dux internecione internecuit.

CAPUT II.

Johannes inducias cum Ferdinando pactus : Gritum amandat Byzantium paci interpellatæ initium facturum : Griti cædes : Johannis cum Ferdinando fœdus nuptiæ & mors.

JOhannes seu metu, sive Christianus ipse nam utrumque jactatum est, pacem per Lascum petit ; quæ induciis suspensa : Delegati Regum Revai, & Vargyasi Germani Stanislaus Albensis, & Baxa Hungari fines apud Strigonium Poloni Regis, & Friderici Saxonis sequestro positum distinguunt: Strigonium Vardano traditur, Gunczium Thurzoni, Moræus latro utrinque proscri-

ptus Palotà Rahocsiam fugatur. Inducias Palatini Banfi, qui valde eas promoverat mors excepit; dumque de substituendo verbis certatur, Lascus, & Verbeczi Johannem inducunt; Gritus Gubernator salutetur; qui & ipse fastuosus Croco, Mocenica (pecuniæ Venetæ id genus) affatim distributis imprudenter factione non virtute venerationem sui populo imposuit. Reclamant Nadasdi, Fratres Artandii, Statilius Albæ Juliæ, Varallyai Albæ Regalis, Cibacus Varadini Præsules, Gubernatores non nisi pueris dari: hos Gritus diffuso spiritu partim ficto crimine occidit. Nadasdi fugit. Inde Byzantium venit paci initium facturus ipsi Johanni ex parte suspectus, ad portam gratus; facinoris prolationes, metum, & varia consilia, partim tegebat, partim incautius explicabat. Mehemeth Chausius quod Ulumas profugus (erat is Thomæ Parthi sororis maritus) & somnia Szultanum in hæreticos Persas incitarent capita pacis adfert: Clemens Pontifex Sulymanni Pater sit, Carolus, & Ferdinandus fratres, Johannes æquum pactum inibit, Corone Balu, & Badra virtute Andreæ Doriæ occupata Carolo compensabuntur: sed dum in his reddendis Cæsar lentus est, fœda præ Cayradine Coronensium fuga pacem abrupit, & fœdus parvo impendio emercabile, Hungariæ ruina stetit. Gritus Selistria trium

um millium comitatu Transalpinam ingressus gubernatoriam dignitatem passim ostentavit; Vayvodas omnis Daciæ Turci jussu subjecit; pacem Imperatorum tractasse. P.incipem privata virtute audiri non humanum esse opus, sed divinum gloriatur. Transmittenti ad Coronam alpes occurrit Lascus ex Podolia se major, factus & accessione virium fortior passim suscipitur ad novam dignitatem. Cibacus obviare jussus, imperium nisi caveatur abnuit, Gubernatoriæ dignitatis, nuper dissuasor: legatus ejus durissime acceptus dum cædem vincula pœnas neglecti officii manere audit insidiosa Johannis Docii persuasione, rem in tuto fingit, scypho argenteo heri vitam taxat. Accurrit Ligur plurimum servo fisus, & in tentorio suo alto pressus somno trucidatur; caput viri fortissimi à trunco resectum, oculos Griti pavit. Sed non diu manent scelera: Gothardus Kun, Stephanus Maylath, & Franciscus Kendi XL millia armatorum intra dies octo confecerunt: Gritus multarum offensionum conscius, & per hoc multos metuens, Moldavis; & Transalpinis perinde invisus, quod potentiam superbiâ tuendam credidisset Meggyesium fogit: ubi defectione oppidanorum Turci promiscue cæduntur, Docius publica securi percutitur, Gritus à Valachis interceptus hostia manibus Cibaci mactatur. Johannes à Sulymanne

opis monitus æmuli cædem haud gravate tulit, Lascum securitati justa ultione consulturus incaptivavit, Tarnovii, & Tarlonis intercessione memor beneficiorum dimissum: exilio damnavit. Varadinum suscepit Georgius Utissenitius Dalmata, ob singularem tam in adversis, quam prosperis fidem ex fornacatore, & focario Regis munificentiâ evectus cujus pupilli pari bono, & detrimento postmodum viguit. Inde ruptæ cum Ferdinando induciæ Leonardo Csekei Cassoviam ad Johannem traducente: Rex Germanus Transylvaniam intercipere tentat, Siculis & Saxonibus ad defectionem pronis: sed cum Præfecti Nyari, & Basfi dereptione Sacmarii proditi essent res omnis frustra fuit. Johannes Sacmarium recepit: ubi amissis Gothardo Kuno tam grato sibi, & cerva cicura, quam ad exemplum Sertorii alter Sertorius sustentabat, alias mitis nunc ex dolore Rabiosulus singulos captivos occidione occidit. Felsius Sarossum Prinyii cuniculis everso muro rudibus rerum oppidanis cepit: cui Iohannes anxius de Cassovia Georgium Monachum, Petrum Perenyium, & Franciscum Debecum æquatâ potestate objecit: hos Felsius cunctatione usus assiduo inter pares discordiæ malo fregit, sponte cedentes cæcidit aut Tibisco hausit. Tocajum improvisum cepit. Ne cassoviam vellet Vacziana pacę avocatus est: qua Rex

uterque

uterque in præsens possessa teneat Iohannis futura proles Transylvaniam, Opuliam, & Ratiboriam capessat conclusum est: adjectum amicis sint amici, inimicis inimici, nempe conscientia ex alterutrius voluntate suspensa, & pace Turci, vel jam rupta vel nihili pensa. Ferdinandus Mehemethi Taurunensi frænando, qui irruptione fœliciter tentata Posego, Bozco, Berislone in Sclavonia occupatis, Clissiæ intercipiendæ duo castra ad Salonas evexerat Petrum Krusitium in Dalmatiam, Kaczianerum Posegam amandavit: Petrus à Murate Verbosano tantopere perculsus est, ut multos solo metu exanimatos amitteret. Nec gloriosior Kaczianerus: qui Ludovico Pecri, Lodronio, Alberto Slicco, Ludovico Rhæto, Iohanne Ungnadio, Erasmo Magero & Bakitio exercitus Præfectis, equitum octo peditum sedecim millium naufragium fecit: jam Valponem pervenerat, Essecum oppugnarat hosti inter Posegam in caute neglectam, & Danubium inclusus: cum Mehemethes Amurathes, & Cassonus, rati quod fuit fame hostem premi, novam victoriam commenti sunt non pugnare. Imperator quia nec Simon Zagrabiensis, nec Hermanni castri direptio affatim commeatus dedit, via passim obsepta Valponem revertit: revertens à Turcis occupatur, Bakitius in angustiis occiditur, alii fame macerati con-
 ster.

ſternantur, Kaczianerus, Pethri, Ungnadi deteſtando exemplo primi diffugiunt; Lodronius ad extremum virum pugnat; reliqui nullus dum Præfectus confuſi, itinere præcluſi, cæſi, aut capti, caſtra ac regalia tormenta hoſti relicta. Infœlix prælium, & ad Turcum tentata defectio capite Kaczianero ſtetit; cum virtute Uſreffi & Amurathis Dubicia Jaſſenocio, & Soboczia occupatis, metus longe major Regem utrumque inceſſit, Sulyman multorum precibus in Petrum Moldavum, cui non tam crudeli, quam fero homini voluptati ſævitia erat expedivit. Petrum à ſuis deſtitutum Cſikium Tranſylvaniæ quod Stephano Moldavo à Mathia donatum, Petrum ex indulgentia Regis exſpectabat, fugavit, Stephanum fugati fratrem gladio tota expeditione condito Moldaviæ dedit. Iohannes ac Ferdinandus æque trepidi arma jungunt; hic ordinarii hoſtis conſcius ille ob Griti cædem, & pactum factum ſollicitus. Rex Hungarus acceptis à Germanico L millibus, ad LXXX millia armatorum in caſtris habebat; Turcum irruentem repreſſurus. Exprobrat Sulyman perfidiam, arma tot beneficiis notum in patrem ſumpta, defectionem bello, ſcelus ſcelere multiplicatum: contra Iohannes partim verbis partim donis factum excuſavit, ſocium Potrono ſe Petrum perſequi, quem Cſikii obſideat:
&

& revera obsedit, dedititium minis Imperatoris Byzantium misit. Nec quieta ex eo Moldavia: Stephanus perinde sævus suorum conspiratione petitus est, & læsis remedium doloris, dolor lædentis fuit: sedem capessivit Alexius Eliæ quondam Principis filius, sed quum is metu deficere ad Ferdinandum tentasset, Petrus remissus est. Petrus adverso casu æque sanguinarius, cumulo cæsorum dignus exitu accessit: nam ut maxime injuste subditos egisse pronuncietur; nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Provinciam Alexander suscepit cum Johannes Budam redux Isabellam Sigismundi Poloni uxorem duxit: ad torum dum illi indulget Maylatus & Balassi Daciæ Præfecti ad Ferdinandum descivere. Johannes Valentinum Török ob transfugium Hunyado ac Debreczino nuper mactatum, legatum adscivit: & rebelles antequam in nervum erumperent, tanta celeritate oppressit, ut prius victi, quam moliti viderentur. Balassium Almaso, Diodo exuit, deprecanti vir natura clemens vitam concessit; quippe supplicia hominum oblivio aut vindicta sequitur; sin incolumes servaveris, clementiæ, & firmioris regni exemplar est. Fogarassum Maylati aggressus ex capite laboravit, & Johanni Sigismundo nato unico natalitiis datis morbum ad Szasz Sebessum lacessivit; unde extra mentem ra-

ptus, dum ſine rationis uſu promiſcue verba facit, repentina morte correptus eſt. Rex quam Vayvoda laudabilior; improperanti ſocietatem Turci Gallum objecit, in morte & ipſum crudeliter tortum.

CAPUT III.

Ferdinando bis à Buda rejecto. Sulyman Iſabellam cum filio in Tranſylvaniam ablegat: & Buda tertium quoque fruſtra à Germano tentata, varias arces in Hungaria occupat.

Civile bellum interventu pacis ſopitum morte paciſcentis recruduit: Eſſecius, & Verbeczius pupillo novæ Sulymanni clientelæ commendato, attulerunt vexillum clavam; & acinacem regni dati inſignia, irridentibus aliis viliſſima ſervitii precia, Ferdinandus fœderis cum Johanne certus, legatis & caduceatoribus tam Turcum, quam Reginam tentavit, æquitate quam ſanguine cauſa quam armis regnum reducturus: ſed quia apud Szultanum Laſcum legatum ſublato jure gentium incaptivare auſum nequicquam fuit, Iſabella Salmenſi moras nexuit, palam utendum ratus eſt. Leonardus Felſius ſecundis obſidionibus Viſſegradum, Vaciam, & Peſthum in poteſtatem

testatem redegit; Budam aggressus, Germanorum, ac Hungarorum discordias, adhæc clandestinos suorum cum hoste sermones passus est; quæ dum Banfio castris ejecto compescere satagit, summo in populares favore ulcus refricuit: obaudit passim miles, munia negligit, & frementem reducere castra cogit. Validior fuit eloquentia Perenyii nuptiis Johannis per Seredium legatum ad Ferdinandum traducti: qui Thomæ Szegesso perorata Caroli potentia, vi fortunæ, & Marte communi conclamatum de rebus pupilli persuasit: Albam reduxit. Nec remissior quicquam Turcus: Mehemethes, Usteffus, & Amurathes Georgio Monacho, & Petro Petrovitio tutoribus testamento datis dura hyeme adsunt: Pesthum tentant; sed Fotiscus & Speciacassius equite primam irruptionem detrectante fortiter conatus eluserunt. Inde Ferdinando crevit animus: Rogendorpius Budam repetit similibus exemplis imitato hoste Christianis eripiendam, Monachus, Petrovitius, ac Török serio muros lapsos restaurant, cuniculos hostiles in hostem vertunt, cum Thomas Bornemisza, Prætor loci & Petrus Palcianus urbem prodendam Revajo obtulerunt; locus & tempus statuta Hungari adsint jussi, magis tectam traditionem operaturis. Imperator non amplius de occupanda ambiguus sensit, quantum vecordia, & infidelitas ad sum-

mam belli addat : Hungaris diffisus Germanos constantiores scilicet urbi immisit Germani lingua proditi, prehensi, occisi, in totum rejecti. Ita incautius obsidentem Mehemethes Bassa Mahometh Belgradensis, & Ulumas Bossenensis praelio navali adoriuntur vincunt, victores Speciacassius clade simili sternit, jamque dubiam victoriam Sulymanni fama hosti dedit. Rogendorf ictu asseris saucius, metu fugitivus, moerore expiravit, classis evasit, copiae terrestres universim amissae. Sulyman Isabellam tela Babylonica, & unionibus immensi precii, pupillum equis phaleratis auxit; puerum in castra duci petivit, petitio habita pro jussu: Valentinus Török vario ingenio in servitutem raptatus, puer, & caeterum commilitium Matri restituta: Inde Sulyman ejus nominis Vezir Budae constitutus, Verbeczi Iudex, qui & ipse cladis auctor, criminum suorum tenax brevi fatis concessit, cum praeclara resipiscentiae signa edidisset, Reginae, & pupillo Transylvania Lippa, & Temesvarum contributa, diplomaque traditum. Eo Sulyman jurabat per Deum, Mahomethum, (a) caput & ensem proprium se pupillo Iuveni Budam redditurum. Regina ut res & tempus postulavit vel metu non repugnans tempestati paruit, conditionem accepit, Budam deseruit: Salmensi ac Herbestaynio

(a) An. 1541.

bestaynio Ferdinandi legatis totâ Hungariâ quæ sibi benefico debeatur excessus pro Austria tributum superbius quam verius mandata sunt : Nec erat potenti vicino replicare, ostentato Rege deceptis, vel propria levitate debellatis: solemne enim dominantibus, dissolvere præsentem statum, & presentare Principes genuinos quasi, non ut hi legitime præsint; sed ut populis allectis vel potestatem vi retineant, vel jure ad se traxisse videantur : Capta Urbe tota trepidatum Germaniâ vicino belli incendio ad se transituro : Spiræ & Ratisbonæ duplex subsidium ultro decretum, Mauritius Saxo impiger juvenis voluntariam militiam professus est : quindecim millium Hungaricus exercitus Perenyio, Pauli III. trium millium subsidia Medigino qui postea Pium 4. nomen edidit, & Alexandro Vitellio credita. Nec pauciores Ferdinandi copiæ Imperator constitutus Ioachimus Brandeburgicus, Hungaris Niger Dux, Balius Budensis, Ulumas, Murattes Clissius, Infusus cum octo millibus contra stant : (a) Vitellius & Sfortia Pallavicinus aggeres ad Pesthum struunt; simulantes fugam hostis insequutus à Perenyio velut indagine conclusus est; cæsus desperatione in virtuem versa fortiter certavit, mille Mauritii Peditibus & quadringentis Nicolai Zrinyii hastatis tergum

K 6 datu-

(a) A. 1542.

daturus. Rejecto hoste Vittellius Pesthum irrumpit, pugnat tanta virtute ut hosti venerationem sui inderet: jamque capturo urbem Germani desunt, & Joachimus belli ignarus timidus an suorum precibus retrocessit. Perenyi affectati Regni insimulatus carcere apud Novam Austriæ urbem detentus est, non tam novæ perfidiæ, quam ter meditati transfugii pœnas daturus. (a) Pesthum tentatum affatim Sulyman ultus est; qui inquietus Gallo satisfacturus, an cum orbem teneret angustiis sibi includi visus Hungariam aggressus est. Gratiam venati Ulumas, Murathes, & Cassonus Soproncium, Belostinam, Rahocziam subegerunt; Moiçus latro Nanam fugit, Nanç dedititius Mahomethum amplexus est, *non servaturus Deo fidem, qui leges insuper habuit.* Imperator Valponem forti Michaelis Aichii virtute contra Præfectos Turcicos tuitam præsentiâ sui, Soklosium, Quinqueclesias diffugientibus passim Hungaris nullo labore subjecit. Strigonium quoque, quamvis ea fuisset Liscani ac Salamancæ præsumptio, ut jactarent universas Caroli ac Sulymanni copias sustenturum ad extremum cessit, dedititii fide insuper habita passim interfecti: inde Tata expugnatur, Alba Regalis Varcocii Præfecti casu, passim per cœnum dilabente milite occupatur. Ferdinandus in Mar-

a) A. 1543.

Marcomannis copias parabat, feram perditis rebus opem laturus.

CAPUT IV.

Turci aliquot castra occupant: Zrinyium ac Bildensteynium concidunt, rursum à Nyario sternuntur. Induciæ cum Sulymanne, Basonis & Balassii exitus, & res Transylvaniæ ope Monachi deficientis.

ET quasi hoc tempus eversioni Hungariæ curreret, non stetit Turcorum indignatio. Mehemethes Jahioglis Budæ, & Hussaim Strigonio Præfecti Petro Amodeco aquæ inopiâ Vissegradum eripiunt; inde Nogradum, Hatvanum, Osora, Simonthornya, Dobrogostum fracta calamitatibus (a) & fuga hostis Turcicum jugum susceperunt. Ferdinandus Petrum Keglevitium Illyrici Banatu abdicaverat quod filiam ex Hampone gravidam finxisset, nec mature hæreditatem Regi tradidisset, cum Mehemethi, & Hussaimo Ulumæ precibus in Illyricum excitis Sagoria usta vastata & deleta, Velika, Monoszlo capta, & cætera facta quæ captis urbibus soleant, Zrinyium Illyrico, Bildensteynium Styriæ Præfectos ad

(a) A. 1546.

ad Selniciæ planiciem primipilares Turcorum offendunt; Turcus inducias maluit, pars quoque assentitur: sed superventu Ulumæ jam validioris: concisi trucidati, & edocti fidem Turcis utilitate coli, Zrinyi Conſcam effugit, Bildensteynius undis suffocandus egregia Stephani Baletitii virtute servatus est. Infœlicior fuit Sabani alæ equitum Strigonii Præfecti Cufatis, Ramadani, & Nasuffi excursio, quos Leva capta, (arçem Melchior Balassi fortiter retinuit) superbos Nyari ad Salcan cecidit, cæsis captivam multitudinem extorsit. Ita malis imparibus valescente hosti pace simulata protestantibus captis Cæsar inducias cum Sulymanne pepigit; & bellum Smalchaldicum summâ virtute gessit qua Germaniam sub jugum misit: fœderati ad Concilium Tridentinum adacti, ligati passim inclusi, torti, dilaniati, & Multiplicati Mauritium Saxonem vindicem habuerunt, Ferdinandus Comitiis Tyrnaviæ habitis contra Mathiam Basonem & Melchiorem Balassi intendit vires: Baso Johannis Tornalii perfidus tutor, latrociniis cuncta ad Moldaviæ fines infestabat: Balassi cujus matrem conjugio tenebat bona Johannis Levai sublatis rationibus tutelæ administravit; Chabraghum occupavit, castello in Sithua monte erecto privata & publica rapinis infestavit. Ego Salmensis Gregorocio, Pecsio, Martinio, Bebe-

Bebeco militiam ultro professis, ad quinque millia bellatorum numero in dies crescente confecit Sithuiam Lucas Marrio, Levam Thomas Daczo tradiderunt: Csabragum quoque non diu Horvatinovitio restitit: Balassi vitæ incertus in Transylvaniam effugit *patriæ latro dignior cæde dignus qui à patria exulet.* (a) Muranum Baionis in prærupta rupe natura inexpugnabile, nudatis passim mœniis Rutheni, & Valachi prodiderunt; Salmensis Basonem porta sibi nota profugum, publica securi percussit, Agriam à Petro Perenyio carcere emisso stipulatam recepit, ad Tibisci; & Sagiræ confluenta Szolnocum erexit. Ita pacatâ utcunque Hungaria, Transylvania longe dispar erat: Georgius Monachus Isabellæ ac Pertovitio suspectus, dum ambitionis, versutiæ, & novi consilii modum non invenit: ex infimo quippe mediastinorum genere, domoque non natalibus, sed lacero tecto per solem illustri, mixta diligentiæ officiositate in altum evectus, Reginam cum filio verbis, vi, malo Daciâ excludendam, Regnum Ferdinando tradendum suscepit; & quia magnitudo sceleris, metu, dilatione, versatilique animo tegenda erat, pupillo per Albertum Pereghi inde Comitem Salmensem, & Andream Bathori Opuliam perfidum Turcum detestatus, perfidior ipse *cui maximum pignus*

(a) *A.* 1548.

pignus regni si quod aliis non licuit ipsi liceat stipulatus est. Regina scelere aperto, & Georgio promiscue omnia administrante, in Poloniam iter meditata est: retinet Monachus; nihilo tamen pacatior, conatui exequendo festinus Reginam Cibinio arcet, ærarium expilat, Saxones, & Siculos in suam sententiam trahit. Proceribus impotentiam vindicaturis, adest & Mehemethes Chausius, quæstâ Reginâ iraru plenas, & in Fratrem Georgium proscissorias effudit literas; quæ res facinus maturavit. Lossonczi, & Patholcsi fœderatis fratri ingruerunt, Petrovitius Chanadum obsedit: sed hunc Thomas Varcoczi Varadini Præfectus discussit, Cassonum, & Fervagam Turcos desertos à Johanne Török paternæ cladis memori cecidit: Kedensi, & Udensi ad portas Rubeas stragem Valachorum ediderunt. Victor passim Monachus pacem Enyedii redintegravit: sed ex timente perfidus, dum *expectare clades metum gravat, & dubia plus torquent mala*, pactum cum Ferdinando ursit. Ferdinandus *magnitudinem suam cupiditate, & impotentiâ tuitus, provocato bello dum aliena inquietius captavit propria perdidit:* (a) advolant extempore Johannes Babtista Castaldus, qui bello Germanico inclaruerat, Bathori futurus Vayvoda, Sirotinius, & Nadasdi: Albam Francisco Bornicio Frater

(a) *A*, 1551.

ter extorsit, thesauros & supellectilem claram reginæ reddidit; quam Szasz Sebessi monuit Transylvaniâ coronâ & sceptro cedat: Opuliam dotis insuper nomine centum millia aureum nummum capessat. Regina præ metu non repugnans, nec sui, nec mentis nec Regni potens Castaldo Regni insignia tradidit: ipsa infidam Turci fidem Buda Soklosio, & pleraque Hungaria spoliantis persuasa, *nempe plura amissura* excessit. Petrovitius Temesvarum Lippam, Caransebessum, Lugassum Munkacso accepto potentiori hosti concessit, id tempori, & necessitati præstitit. Sulyman Johannem Mariam Malvetium Ferdinandi oratorem, (a) (acta hic negabat) in custodiam misit, Mehemethem Europæorum Magistrum *Reginam cum filio reducturum, an sociæ suppetias ferendo Regnum quæsiturum* expedivit. Duces belli Ulumas, Menhethames, Cambeeres, Achomathes, & Cassonus: Beccheam, Becskerekum, Csanadum, Csallyam & quot non ille oppida inter Temesum, & Marusum cepit, Transylvaniâ pacatâ Christianorum mansura, *nec potuit amplius Barbaris quicquam objici fidem non servari.* Georgius, & Castaldus Varadini, Bathori Lippæ, Patholcsi, & Balassi Gyulæ, Varcoczi Erdokegyii æstivabant: pares virtute Turcis, ne prælium immitterent retenti à Fratre.

(a) Æ. 1552.

tre. Quin & major incessit metus: nobilitas, milites, & cives passim à Lippa fugerunt, quod Thomas Aegyidius ab Uluma fugatus terrore latius dato futurum ut Varadinum obsideatur, sparsisset; nudatus Bathori falso mora evanescente Thamashidam reduxit copias: Lippam Petö inconstantia civium deseruit, Mehemethes Ulumæ commisit: tentavit quoque nequicquam Temesvarum Lossonczio: Aldana, Perezio, Castelluvio, & Villiandrado fortiter se tutatis, quod Georgius Lippam obsedisset, & dies S. Demetrii ultra quem Jeniceri durant, vel non durant in castris advenisset. Ferdinandi opera galerus Cardinalitium insigne Monacho ad Lippam præsentatum: moderato Fratre futuri præsago. Ulumas fortiter prima irruptione nostros cecidit, ad ultimum commeatus inopia sese dedidit: assentitur Georgius libero discessui tenuit Castaldus, gravatim ferens Utisseniţium copiarum imperium arrogare. Ulumam à Georgio habito clandestino colloquio dimissum Melchior Balassi, & Franciscus Horvat, sublato jure fidei adoriuntur: sed Ulumas his rejectis laceras copias ad Imperatorem Adrianopolim perduxit. Georgius qui Sulymannum vel leniendum, vel non irritandum duxerat cuncta aliter atque fecit accepta: Castaldus facta carpens consilia cum Turcis habita fingens, apud Ferdinandum

dum perfecit, tollatur è medio. Monachus in partibus Hungariæ milites ad hyberna mitti imperat; Castaldus in Transylvania magnum facinus aggresfuro necessarios; Occulto sceleri diliguntur Sfortia Pallavicinus Andreas Lopez, Marcus Antonius Ferrarius, Laurentius Campegius: Marcus dubia diei matutinæ luce ad Alvinczum ubi securus militibus se nudaverat pronum in literas militis rogatu subscribendas lethali ictu trans adigit, versutiæ, inquiei, & perfidiæ in pupillum fautori suo pœnas solutu- rum: adsunt Sfortia & alii decem: Christum clamanti cæsim punctim ictus ingeminant, passim crudeli morte & ipsi perempti, Mercadus pilosa auricula fidem cædis Ferdinando fecit: Rex cum & apud Julium valde ob id laboraret, dubiam fidem & defectionem Georgii publice est concionatus: sed facilius admissum scelus quam excusatum, nec ope humana, aut largitionibns effectum quin injusta cædes judicaretur: Castaldus, & Vulturici Hispani facultates ejus diripuerunt, nimirum *spolia defuncti carnifici debentur.* (a) Prono in bellum Turco Michael Toth Segedini occupandi mentionem Castaldo injecit, monentur rei Aldana Lippæ præpositus, Petrus Baquitius, Perezius, Dersfi advolat cum suis quinque millium Thoth; septingentorum ad Urbem piscato- rum

(a) *A.* 1553.

rum ope Tibiſcum trajicit, oppidum capit, arcem ſtrenue Hederbegus tutatus eſt. Sed cum Haydones præ magna vini optimi copia è Syrmio & Baronya gulæ vacarent, nihil ſanioribus Franciſci Horvati conſiliis moti; Halys Budenſis, vel columbæ opera confirmato Hederbego decurrit, temulentos ad unum cædit; Aldana, & Perezius effugerunt: Valentinus Nagy, & Petrus Török, qui Caſſonum Beskerecka opitulaturum fuderant, dum cladis ignari redeunt, & ipſi cladis inſtrumentum fuerunt: ita temeritate potius militum, quam Ducum ignavia victoria excidit. Halys porro Hamzę & Elizis captivitate Budam reliquit Beſzprimium circumcinxit: cui Petro Pereone ſummo loci Præfecto ſuperbe non admiſſo Michael Ferreus ob avaritiam ſeditione jactatus plumbeo animo ſe dedidit.

CAPUT V.

Achomathis & Halys in Ungaria, Ultima in Illyrico res geſtæ: Tranſylvania ejecto Ferdinando Iſabellam recepit.

ELias Petri Moldavi filius facta per alpes Oytoz irruptione dum Sepſium, Kyſdium, & Orbajum Tranſylvaniæ agros longa

longa pace divites incautius vastat, à Bancfio, Udenfio, & Arciis præpeditus alpibus fortiter cæsus est; prædam victo ademisse suffecit. Major metus ab Achomathe: Achomathes Temesvarum Lossoncio cum mille quingentis fortiter primam irruptionem sustinente, discordiâ Germanorum cepit, sub fide dedititii Ulumæ manibus interfecti: Caranum, Scbessum, Lugassum ultro cesserunt: inde Solymosum, Chanadum Challya (his nuper exuti fuerant) & totus fere tractus inter Temesum & Nigrum Chrysum victoriæ præmium fuerunt. Lippam Bernhardinus Aldana secus quam jactaverat Ociarovicio, & Jaderensi frustra reclamantibus succendit: captum propterea jamque publicè percutiendum Maria augusta ab ipsa morte rapuit. Halys Achomathi se juncturus Dregelum occupavit tanta fortitudine à Zondio defensum, ut confossum *hostis virtutem admiratus* sepeliri juberet: dehinc Bufsâ, Hollofo nullo negotio, Salgone ridiculo Arslanis stratagemate qui truncum arboris pertractum ad montem, oppidanis tormentum esse imposuit, Bujaco, Sago, Gyarmatho nostros excussit, ut merito jactaret spaciando se Hungaros vincere. Obviarunt Erasmus Theuffelus, & Sfortia Pallavicinus tunc ex Italia redux, cum decem millibus: sed cum nobilitatem Filecci congre-

(a) A. 1553.

gregatam audacius quam prudentius non exſpectaſſent, omnibus elementis conſpirantibus ad Palaſtum nitrato pulvere forte accenſo graviter afflicti; univerſi caſtris exuti: Ducum uterque captus: Theuffelus cum ſe negaret *lege nulla capto parente* culeo inſutus in Boſphoro Thracio ſubmerſus eſt; alter quindecies mille coronatis redemptus tantâ cæterorum captivorum vilitate, ut modio hordei Germanus venderetur. Achomathes & Halys lugente paſſim hoſte Szolnocum venerunt; miles tam minas, quam pollicita Laurentii Nyari inſuper habuit, urbem hoſti tradidit; hoſtis cum centum viginti quinque millibus ad Agriam ſe convertit. Dobo, & Neskejus quamvis inaniter Regis auxilia imploraſſent; nobilitate, in his Gregorio Bornemiſzo literato, Blaſcone, Sadorvico, Peteone, Zolthajo, Figedio confluentibus bis mille milites in urbe habuerunt, Fervebant cuncta obſidionis munia, pari oppugnantium propugnantium quæ ardore; dici nequit quantum ingenii, fortitudinis, & obſtinaciæ fuerit in obſeſſis: dum interdiu diruta nocte reſarciunt trabes quibus foſſa erat repleta mirâ Literati arte comburuntur, Dobo & Neskejus portam Bolikianam *contempto vitæ periculo* aperiunt, defendunt, tria millia Turcorum vel unâ oppugnatione abſumunt. Receſſit tandem Achomathes relictis duodecim mil-

libus

libus pilarum ingentis ponderis in obſidione. Vaydanâ Ivonius; Somogyi, Keuſzeghi rei fœliciter geſtæ nuncii donati ſunt à Ferdinando 100. aureis & precioſo veſtitu: Mauritius tot bellorum pro & contra Cæſarem exantlator qui tota æſtate ad Jaurinum nullo facto operæ precio conſederat, 100 Joachimicos ultro obtulit; alii torquem collo laceratum diviſerunt. Dobo Præfecturam Tranſylvaniæ accepit, infœlicior Neskejus ſumme excolendus, tumultu ad Varconem ruſtici ſecuri percuſſus eſt, *indignus tali cæde*, paulo proſperior Literatus Agriæ præpoſitus eſt, ad Hatvanum captus, irato Achomathi capite luit, procurante Hazattiâ & ipſi occidendo. Ferdinandus *magis fortunam timens quam acceſſionem quærens* pacem maluit; cui petendæ Antonium Veranczium, & Franciſcum Zajum ad Portam ablegavit, horum ope captivitate emiſſus Malvezius, cum ad turcum remitteretur morbo conſtrictus eſt, quem ſequuta mors dubio Ferdinando verum probavit. Supplet locum Augerius Giſlenius Busbequius ſed non ultra ſex menſium inducias impetratum dum vix rediret. Bello igitur continuato Ulumas, Murathes Cliſſianus, & Malchocius Herczegovinianus ad Toplocſiam virtute Nicolai Zrinyi victi, invicti animo ſteterunt: Chaſman Veruczziam, & Dombro- [illegible] nem,

(a) A. 1555.

nem diripuerunt; Hamezâ Szecſenii Præfecto is (ad Turcum per Verantium remiſſus erat) Filekum ex inſidiis occupante Buſbequius reverſus ad Portam, quia Tranſylvaniâ non ceſſit, nihil egit: Alys Chauſius ejiciantur Germani, Hungarus Princeps eligatur, aut Regina reducatur Bathorio imperat. Bathori connivente Caſtaldo nomine ſtatuum tributum pollicitus quod occupata peteret fruſtra fuit? Novum ergo bellum: Alys nuper Budenſis jam Byzantinus Purpuratus cum XXV. millibus Szygethum obſedit; tantâ ſuperbiâ, ut Byzantio diſceſſurus apud oratores jactaret fuſtibus, clavisque Hungaros aggrediendum, non gladiis: cui & maſcule reſponſum. Nec vecordiæ pœna defuit: nam quamvis dies noctesque intenderet, pilis igneis rem gereret egregiâ Marci Stanſitii virtute toleratus eſt: Alys oppidum cepit, Marcus arcem munivit, hoſtis Almum derivavit; novam foſſam obſeſſus ſtruxit! foſſam lignis Turcus complevit, Stanſitius tæda pinea abſumſit. Adeſt Nadaſdi Palatinus cum XV. millibus: Szygethum liberaturus Baboczīam obſedit; qua Capoſvaro, Korothna Haydones æque noſtris infenſos, atque hoſti Toygon Budenſis exuerat. Alys ſolvit Szygethum Rinniam tranſivit, noſtris occurrit: ſed fortitudine Zrinyii ac Polbaylerii, auxiliis Telekeſſi; ac Ruberi, quod
ſummum

ſummum prudentiâ Imperatoris cæditur, Baboczia deſeritur. Palatinus ſeu metu gravioris hoſtis, ſive Szygethum ſolviſſe ſatis habens ne *clauſo ex deſperatione creſcat audacia* Chorgonem rediit, Ferdinando Regis filio, qui valide ſtipatus ægre Patrem expugnaverat, vellet prima militiæ rudimenta ponenti aſſentiri, caſtra junxit. Inde quia *ſubita conterrent uſitata vileſcunt* trepidatum totis Turci caſtris, Chriſtianos omnem planiciem inundaſſe: (a) Alys ſe ad fugam comparabat, Mehemethem Beglerbegum advolet rogat, *cuncta in majus tollente fama*; quia tamen recedens fugere Nadaſdi viſus Szygethum repetit: ubi titulo fortunatior X. millibus ſuorum amiſſis inglorius deceſſit, *dum mollem & contemptibilem hoſtem putat mollior & contemptibilior ipſe factus*. Ferdinandus diſcedentē Alym Palatini conſultis non inſequutus Corothnam cepit, S.Martini, S. Laurentii, Selliam, & Græco gallam incendit, tantâ Germanorum avaritiâ ut in diſſectis hoſtium inteſtinis aurum quærerent Pejus res erant in Tranſylvaniâ, deteriore & cauſa. Caſtaldus ſeu futuri præſagus, ſive à Carolo evocatus Provinciam deſeruerat; Dobo & Kendi Præfecti diſſentiebant; Dobo conſtans in Regem, Kendius Iſabellam reſpectabat. Kendi, & fœderati; quos deſiderium Reginæ, metus Turci, & *ſuis*

(a) A. 1556.

quoque periculis satietas præsentium tenebat, rebellarunt. Regina non satisfieri questa excitur Poloniâ Sulyman expugnatus tam levibus usus, est venenis, ut nostri sine dolore interirent. Cassono; & Moldavo mandavit auxilia, Caranum Sebessum, Lugassum ob fidelem operam Petrovitio donavit. Petrovitius à Seghalom Tahii, & Zaberdini armis rejectus est, Mocsioccus Moldavus dilapsus Cassonus pugnare non ausus: quare in præsens fœderati quindecim dierum inducias cum Dobone pacti, Tahij ac Zaberdini præsentia pacem amplexi sunt; tradiderunt se confisi clementiæ victoris, & *pœnitentia facti pene innocentibus indignius fuit decipi spe humanitatis.* Nec constantes Transylvani fœdus ruptum, aliquid causatum, læsis adversus aliquam partem fœderis, exitu Cæsariani militis Rendi, & Balassi Reginam advocant; Husztum diu à Corlato, (*a*) & Szalajo propugnatum Andreæ Bathorio ad extremum cessit; Varadinum Ferdinandi motuum pertæsi jussu, Tocajum Francisci Nemethi defectione Isabellæ traditum. Inde defectio serpsit, cui frænandæ Lupum Pucchamum, & Detricum Marcellium Rex præfecit. Detricus Tarcone; Nagyida; Uyvaro Tarcianum nova molitum spoliat. Karasznahorca Bebecum; sed studio pecuniæ *quam nemo sapiens concupivit* publicum

(*a*) *A.* 1551.

publicum neglexit, & sævus inquisitor Civibus *salutem præ salute amplexis* Bel co., & Turcis ad Resnonem præda extitit. Dobo Szaenos Uyvarii circumventus, sub fide deditius Gabrieli Perényi litem super Saros Patach captivitate luit; & quoniam nulla calamitas sola vinctum Turcis Dominicum Fratrem vinctus audivit. Connivit ad custodiam Regina, fidei datæ vel immemor, vel incuriosa, *tanto magis præstandæ, quanto impunius peccabatur.*

CAPUT VI.

Res ad Tibiscum, & in Illyrico Gestæ: Isabellæ sævitia, & mors: Johannes pacem voluit, irrito cum effectu: motus Moldavici. induciæ à Sulymanno emercatæ, & Ferdinandi mors.

EMericus Telekessius Puchamo ad Cassoviam suffectus Zemplinium Palocziam Prinyii expugnarat, Benedictum Bonemisza & Christophorum Hagymâsi Unguari, & Seredniæ captivitate elatos fama adventus represserat Covasone Olsva & Barcone dirutis Szolocsium, Zetenium, & Kevesdum contra Isabellam muniverat; cum Turci dissidio hostis validiores facti. Alys Costanicium in Illyrico cepit, quem excipiens

L Fer-

Ferhates quinque millium exercitu cuncta inter Juaniciam, & Zagrabiam vertit: Petro Erdœpio, Zrinyii succeffori, & Lencovitio ad S. Helenæ præda nihilo meliorem discordantium statum fecit. Tatam nuper receptam Hamza ex insidiis intercepit, Comarom, & Austria hosti exposita: (a) *Nec immerito sensæ clades, reliquo Hungariæ dissidiis indulgente, & quorum res agebatur, hostem, & hosti fœderatum amplexis*: exorantur ergo Principes Germaniæ, decretum duplex subsidium XLVIII millium: quod injecta spe aut mentione pacis Turco callidam moram nectente ad Jaurinum consedit nullam rem gessit & honoratum valde oneravit. Infœlicior Transylvania propriam Dominam perpessa est: Bebecus ad Sulymannum Bajazethi trucidando intentum venit; à quo benigne exceptus Gubernaturam accepit, Moldavi, & Transalpini Gubernatori subjecti, unde Reginæ *nimiâ potentiâ suspectus*. Gubernator, Petrovitius & alii Johannes Varadinum abducatur contendunt Cambrajus Galli legatus urget, ne inter nutrices, & scorta mores dissolvat. Regina cura gravi saucia, occulta cum Nisovio Polono consilia ferit, tollendos Proceres, *consilium & modum res non habuit: unde nec consilio regi potuit*. Cædem Petrovitius repentinâ morte effugit, Reginam & filium

(a) A. 1560.

lium hæredes ſcripſit: Bebecus, Franciſcus Antonius que Kendii *nimia gloriæ cupiditate inglorii* toties tentatam defectionem Dominæ ſuæ quam amplexi erant luerunt; immiſſis à Balaſſio percuſſoribus ſinguli ſublati, ſingulorum theſauros regina ſumſit, *percuſſor percuſſorum*. Balaſſio cædis præmium ſuprema copiarum poteſtas; cætera Tranſylvania indignâ nece varia viſa eſt; *multi propriis bonis delectati potius, quam aliis malis laborabant*, plerique *præ metu taciturni*; *quid quiſque vitet, non fuit tutum hominibus in horas.* Diſpar fuit ad Agriam ſtatus: Ruſtanes Budenſis 5 Millium exercitu Sixoviam vaſtabat: Telekeſſius Petö, Forgacs, Antonius Szekbelii duorum millium cohortem confecerunt: cum paucitate circumventis hoſtis immineret, *ſenſit quantum addat ad victoriæ momentum ſalutis deſperatio*, victus enim ad Cazum & Janoſum non niſi quadringentos ex tanto numero reduxit; Telekeſſium inquie & ſenio gravatum, cujus capiti Cirkinius imminebat, Johannes Kereſzteſi transfoſſo hoſte in ipſa morte protexit. Iſabella exceſſit, Johannes Sigiſmundus pacem tentavit, *facta pro jure habuit*: Csaki & Hagymâſi Regem Hungariæ Tibiſcum finem petere ſuperbe coram Ferdinando perorarunt. Fruſtratâ ergo legatione, Baſaſſius qui ad Tarcanum dum Vardam tentat incertis pugnæ caſibus à Tele-

kessio dimissus odium Transylvanorum incurrerat, cum oblata in stipendium militum pecuniâ ad Cæsarem transfugit; Sacmarum Rivulinum, Thasnadum Detreconem accepit, Nicolaum Bathori secum traxit? Johannes Sigismundus apud Portam questus defectionem promoveri, *simulatâ pace bellum tractari*, Augerii solertiâ retusus est, cum mira belli nubes Moldaviam inumbravit. Jacobus Heraclides sumpto Despothæ nomine, jactatis Caroli V literis Galliâ Germaniâ, ac Poloniâ peragratis in Alexandri Moldavi amicitiam se insinuavit: ficta Uxoris affinitate benigne acceptus, vastam spem concepit, (a) tollendum Principem Consilio detecto Coronæ exul, jamque hosti tradendus à Johanne Sigismundo ad Albertum Lascum, in Scepusium penetravit: Lascus suorum prodigus Despotham splendide excepit X millibus aureorum copias paret donavit; Despothes tentatâ per Sarmatiam Moldaviâ à Polonis cæsus nihilo segnior visus est; Franciscum Zajum qui Telekessio & Petro Macedonio extinctis, summam rerum ad Cassoviam tenebat conciliat, Ferdinandi gratiam oppugnat; oppugnatus Cæsar, frustra dissuasus à Valachiâ tradendâ non fuit alienus. Auxilia Zajo mandata; Zajus Domino pariturus, Viro forti Antonio Szekhelii viro [illegible] juncto

(a) A. 1561.

juncto virum tanto silentio dimisit, ut Despothen se vivo, & vidente inani feretro Lascus efferret. Antonius mira fortitudine cum suis mille quingentis, viginti quinque millium Alexandri exercitum tormentis hostilibus in hostem versis fugavit; Alexander ad Hyerassum submotus, Transalpines inaniter præstolatus Byzantium *quo cuncta undique confluunt* profugit. Despothes Gyaszvasarum receptus est: sedem Suchavam capessat jusso divina humana que dedita obsides accepti, præsidia passim disposita: sed hoc minus, tributo decem millia aureorum superaddidit, Sulymannum in suam sententiam traxit. Despothes jam Vayvoda sceleratum imperium *non difficilius amisit, quam pepererat* inopiâ rapax, metu sævus inique partam potestatem non melius egit, quam acquisivit: alienam religionem vi introduxit, exactiones quod contractum grande æs alienum distrahere non posset ursit; candelabrum sacrum Alexandri argenteæ monetæ conflavit. Inde conflata invidia; quasi inexpletus, *contra Deum bellum gerens* Suchavæ à Bojeriis obsessus est! Jamque ad incitas redactus Zajum, & Szekhelyum nequicquam tentavit, vicinos undique infestos habuit, ipse Lascus exorta inter se & Despotham simultate Demetrio Visnovecsio Russo Principi Moldaviam affectuit. Bernovius Despotæ Aulæ Magister

summus exactor cum se tradi ad supplicium (a) mobilitate Domini metueret, *facere aliquid quam pati maluit.* Despotham aggressus est: vano Tatarorum rumore inescatum præsidio nudat, Tomsa defectionis Dux Princeps creatur. Visnovecsius Tomsam Jacobi obsessorem obsedit, rejectum in gratiam recepit; æque Despothæ hostis, Despotham pressit ! Sed volata fuit Visnovecsio victoria; nam à Valachis defectione, & perfidia, quasi virtute usis desertus est: comprehensus cum sociis Byzantii in furca pependit. Tomsa rursum Vayvoda, Despotham oppressit Johannes Sigismundi auxilia imploravit: nec Johannes negavit; Ladislaum Radacum, Siculorum Balassii & Despothis incitamentis rebellium cæde cæsis libertati adempta clarum factum hostis hosti opposuit Despothes Devai Hungari cæde desertus Tomsæ traditus cervice dignitatem luit, *injusti parti imperii desideratus finis.* Tomsa Princeps clamatus *prout violenta imperia non diu continentur*, instabilitatis exemplum fuit: jam Deus ipse Moldaviam respiciebat Sulyman Alexandrum restituit, dedit illud Johannis precibus; Tomsa cum sociis Mochocco, & Strozza Leopoli exul Sigismundi Poloni jussu publicè interficitur, & Visnovecsii cædes, auctoris cæde expiata Pejores in Hungaria res Johannis: Sulyman

(a) A. 1563.

lyman ad inducias octennales, octo annis oppugnatus flexus fuerat, (a) Transylvanus confinia premebat Stephanus Bathori, & Franciscus Nemethi Hadadum deficientis Sulyocci obsederunt; Zajus & Balassi Covasonem ceperunt obsidentibus occurrerunt Bathorio visum non depugnare, *validior hostis, & incerti casus*; id Franciscus Nemethi aspernatus non convenire fortibus pavorem; *illius prudentiam hujus temeritas vicit.* Facto concursu Transylvani fugiunt, Nemethi funes sericeos quibus Balassium ejusque filios vinciendos jactabat fugâ Szentjobum usque traxit, castra opima XXIV tormenta; & LII signa victorum victori cesserunt. Subditi prælii eventum expectantes fortunam in consilio habuerunt; trepidatum totâ Transylvaniâ, quæsita in Poloniâ securitas, Johannes Sigismundus ad fugam se comparabat nisi attonitum Christophorus Bathori Turcorum ope vel Hungariam complexus retinuisset. Adsunt illico, exuti Ibrahim Budensis, & Malchoczius Temesvariensis; Rosalyum eruptione Bajii, obsidione exemptum Nemethuum incensum, flammam per medias undas auster flavit, Sacmarium cum præda omni à Zajo transportatâ conflagravit, nec tamen extrema quæque attentanti hosti cessit, Irrupit sane sæpe numero Turcus dum expediendo pul-

(a) A. 1562.

veri Balassi ab Ecsed Antonium Szekhely accersit: sed Sigismundus Forgacs, & Dominicus Dobo acerrime restiterunt. Dominicum pio proposito Franciscus Frater redemerat: qui carcere Szamos Uyvarino profugus, usque ad invidiam cunctorum, & pœnitentiam dantis. Levam, Viglessum, Geonczium, Telkibanyam, & quadraginta millia aureum nummum constantis animi mercedem acceperat: Recessit hostis ingravescente fame; sed major cædes Johanni Balassio illata: Johannes Fratrem liberaturus 5. mille milites Szisinum duxit ubi dum arx opinione melius defenditur, Hasanes Fuelecienssis omnem victoriam in celeritate posuit, Johannem priusquam explicaretur, octingentis se tanta virtute fregit, ut una viros, altera ex parte pecudes putares. Insolentior contra Aislanes Posegæ Præfectus obvia ad Monofzlonem magno suo detrimento rapuit: hic ille aureis sericisque tentoriis positis, sub ipso fluentorum murmure se oblectabat, & *quasi deliciis hostis vincendus esset* genio indulgebat: talem Præfectum jam *luxuriâ suâ debellatum* Zrinyius & Tahius non prius aggressi sunt, quam ceciderunt, castra immensi precii ad *amœnitatem non bellum* exculta diviserunt. Ita preliis passim ardentibus cuncta in deterius vergere visa sunt: vastitas in agris, inopia in urbibus, *armorum cædisque assuetu-*

dine

dine mortalium animi efferabantur: pacem ergo urgere placuit, quam Busbequius annuis triginta millibus aureum emercatus est. Imperator Maximilianum filium Regem Bohemiæ & Cæsarem renunciandum curavit, imperium in familiâ firmaturus; spectavit luxum Ibrahim Dragomannus Turci legatus, Regis tributô Domino suo obstricti. Rex Hungariæ coronatus solemnitatem; aut affectum nullâ in parte pristino æquanda vidit; cum & Turcus magnam Regni partem abstulisset, & sub Germanis multum imminutâ potentiâ, *manentibus tamen adhuc vestigiis intermoriture libertatis vivendum* cives quererentur: alii clamant, Palatinus primum creandus, Germani finibus educendi, clamor tamen frustratus. Johannes Sigismundus Stephani Bathorii pene pacem conclusam legationem abrupit: datum id Csaki Szalanczii, Bekesii consilus; omnium infaustum: Fausti Socini magisterium, Magistro Blandratâ sequutorum, qui ex Somliani Romano Catholici dispendio compendium fecerunt: Nec diu Ferdinandus, tabificâ febre consumtus est Vir modestiâ rarâ, Caroli V. Contra Protestantes edictis abolitis, & libertate Conscientiis sancita insignis: bellorum infœlicitatem potentia adversæ partis, & subditorum inconstantia quoquomodo

excu-

(a) A. 1562.

excusavit; nisi quod *utilitatem putans* honesta à deterioribus plures non distinxit.

CAPUT VII.

Maximiliani gesta, cum Johanne; & supremum Sulymanni bellum.

MAximilianus Ferdinando Patri, ut Regnis Hungariæ, Bohemiæque sic in Imperio successor, dignum se fastigio præstitit, justitiâ, innocentiâ vitæ & quantum potuit pace servatâ. Sabano Sulymanni nuncio serventur induciæ ultro assensit; sed violatæ fuerunt, orto ex Transylvaniâ bello. Stephanus Bathori Sachmarinos quorum benignus ante Dominus fuerat ad se traxit, conjugem Balassii tum apud Zajum absentis filium, filiam, & Rivulinum Dominarum rapuit. Johannes Sigismundus secundis rebus elatus, *quod solent victores.* Hadadum Bathorum, Sancti Martini recepit, Ecsedum, & Varda sexaginta dierum inducias pactæ: Zajus & Balassi impares sustinere quam inferre bellum maluerunt: quos cum Johannes Sigismundus opportuno consilio Cassoviæ premendos induxisset, repente ut *Deum certantem videres* cœlo imbres superfundente agri aquis inatarunt, rotæ cur-

(a) A. 1564.

ruum tormenta sustinentium ad arces mersæ sunt, nec tolerari amplius procella potuit. Irritatus Maximilianus, majore conatu res gessit: *ratus in primordia Regni suscepti positum esse, qualis apud suos Majestas, hostes terror, aut contemptus imperii foret.* Lazarus Suendius, & Andreas Bathori æquatâ potestate Johanni oppositi, Turcus demulsus Chabio, Cirkinio & Cernovicio munus ad Sulymannum deferentibus. (a) Svendi, & Bathori rigente hyeme Tocajum Tibisco, & Bodrogo munitum juvante glacie obsident, Nemethium Præfectum glande icunt, captum summâ celeritate Jacobo Rammingero tradunt: inde Sacmarium submissum firmiter munitur, Erdœdium Georgio Bathori sive socorde, seu fraternę clementiæ multum fiso occupatur; Georgius Kœvaro, ac Csehio spoliatus bonis quibusdam redditis Cicivæ ad Topolyum habitare jussus. Nec Szerencsium, Rivulinum diu Balassio restiterunt; quia enim Sulyman ducentarum, & quinque navium classe Melitam oppugnabat, Tardius Transylvano auxilia suppetebant. Bathori Somlianus, & Nisovius pacem à Svendio exorarunt, sed duris conditionibus: Johannes Bihar regione contentus, Munkacso, Maramorusio & Regis nomine se abdicabat. Sclavonia varia exinde visa: Mustaphas Bossenensis Crupam

in

(a) A. 1565.

in conspectu meticulosi Herbarti Aursper-
geri, Slunii & Farcassitii ardorem in contumaciam trahentis sub jugum misit; Noviam expugnavit; cum jam quindecim millibus militum ulteriora premeret, *sensit superbiæ vindicem Deum*: Petrus Erdeodius cum suis mille quingentis tantâ fortitudine, tantum exercitum pervasit, ut imparati quasi pecudes confoderentur. Nec diu fœdus Turcicum, quod ambigue hactenus steterat: Hidajetes Sulymanni legatus Tocajum Johanni reddi voluit: quare consiliis Bekesii, & Georgii Bebeci ex cupiditatibus odia dissidia, discordiæ; seditiones & bella nata Somlianus, & Cralnecius inita cum Suendio ratificaturi frustra fuerunt: Georgium à cæde Patris ad Ferdinandum fugitivum & versutia Hussatim Sabatcani captivum factum dono à Sulymanno Johannes acceperat: Polonus qui pacem urgebat re infectâ discessit, Somlianus prævaricationis reus custodiæ mancipatus. Transylvanus Bupensium Turcorum, & Hasanis Fuelecienses ope Jeneonem, Desvium Vilagosvarum, Pancotam sui juris fecit; castra Suendiana ad Sacmarum oppugnavit; unde colubrinarum ictu repulsum diu Gyonii, & Lavembergii virtute Erdœdium sustinuit, ad extremum se tradidit: dedititios iratus Hasanes *major ne vir an pejor, mendaciis ac fallaciâ, quasi præclaris artibus gavisus*, falsâ fide in-

terfe:

terfecit: dedit illud Curto legato suo, quem in oppugnatione amiserat. Johannes Knevarum, Hasanes Suendium repetivit qui & ipse par hosti, quia Viennæ pax tractabatur cunctatione usus est. Convenit tandem: pacifica vita exigatur, munus mittatur, Transylvano adempta restituantur: quæ cum tardius Cæsar exequeretur, vel frustrare videretur Tocajo retento, honorario neglecto Sulyman jam octuagenarius supremum operum suorum bellum aggressus est. Albertus Vyzius, & Hoszutothius deprecati sunt, periculum non esse in mora: Imperator juvenili animo *vitæ finem non annorum spacio sed regni terminis metiebatur.* Arslanem Georgius Thurius belli vetus mascule à Palotâ rejecit: Ego Salmensis Brederodii Batavi Allobrogum, & Burgundiorum suppetiis Vesprimium, Tatam mira celeritate occupavit, (a) Gesztesinos, Vithaymiensis, Iffocianos Vertesiâ sylvâ exculsit, Sulyman Belgradum pervenit: Johannes Sigismundus Mehemethi Purpuratorum Principi Poloni Soceri suadelam posthabuit accessit: celoci Sulymanni Danubius trajectus equo splendide phalerato qualem domitor orbis *pubillo scilicet* offerre poterat: Medios inter Jeniceros vectus est. Principi dextram Imperator porrexit cæterum commilitium genu osculatum; habito sermone

(a) A. 1566.

mone gratia pro factis acta auxilia contra Germanos impetrata, supplex libellus, quo Budam reddendam juratum fuerat oblatus: hæsitabat Johannes inter spem & metum; sed tantæ claritudinis Imperator naturam exuit, cuncta pro voto Juvenis expediri Mehemethi jussit. Mehemet Johannem rogat, velit se accedere, quem Patrem suspexisset; cum omnes assentirentur; repertus est unus Bekessius, quo Principem extollente, Mehemethem deprimente Johannes *superbia quasi Majestate* uteretur. Purpuratus par & ipse Regibus, dona Cæsareo luxu explicavit, adventus certus insperatum audit extra castra equo insidentem insidenti loquuturum! Excanduit ira Vezirazem, cum ipse Regni traditor foret, quasi clientis arrogantiam ferri: tot Muslemannorum cruore parta Christiano tradi, Margarismum violari Sulymanno inditum: ita Johannes discedens aspectu Imperatoris prohibitus tantâ spe falsus est, *& voce una unum regnum stetit.* Peitavus & Beglerbegus Græciæ Gyulam summo conatu oppugnarunt, Ladislaus Kerecseni varias calamitates pertulit, obruere cuniculis parantem aquis obruit, eruptione quinque millia Turcorum mactavit. Inde tribuni firmiores Præfectus deficiebat: spreto Stephani Bathorii instinctu futurum ut discedat hostis deditionem pactus est. Pacto supremo rerum humanarum vinculo

vinculo hostis non stetit; milites non multos passim interfecit, alios arundinetorum, & noctis beneficium servavit; arx Turcis retenta Johanni inhianti, quadringenta millia florenorum in sumptus bellicos proposita. Nec Kerecsenio capto lex ulla pœnam impedivit, sævitiæ in Muslemannos postulatus, vasi clavis perforato Selymis jussu inclusus, de monte præcipitatus est. Sulyman Mehemethem dispensatorem Bosfenæ præfecit cujus ad Soklos cæde imminentem Agriæ tempestatem Szygethum in se vertit. Dravus non sine periculo Hamczæ serius ponte stratus, ducentorum millium turma traducta Szygethum summâ contentione obsessum Cæsarianus exercitus in quo XXV millia equitum, LXXX millia peditum censebantur, Pio quinto aurum, totâ Germaniâ, Galliâ Italiâ militem, & commeatum subministrante ad Jaurinum constitit: Johannes cum XV millibus suorum, ac Tataris longe pluribus Tocajum tentavit? Tatari inopia vincendi, quibus nihil nisi quod rapiendo occupassent, illâ ipsâ paupertate invicti fuerunt., Patachi, Munkacsi, & Bereghsaszii ditiones verterunt, passim omnem sexum & ætatem vel trucidarunt, vel incaptivarunt: Johannes à Tocajo fortitudine Jacobi Rammingeri, & Mathiæ Calvasi rejectus est; Sulyman tanto ardore Szygethum oppugnavit, ut

Canysam,

Canysam, & longinqua loca non difficulter sonus audiretur. Nicolaus Zrinyius bis mille quingentos milites habuit, paucitas incuriæ tributa: Flagrabant ad Urbem omnia Martis opera; Alyportugus tormentorum Præfectus vi, voce, exemplo oppugnationem ciebat, flumen derivabat, obstantes gladio subdebat? Nec Zrinyi segnior visus est, vitam cui debuit; patriæ dedit, mortem contempsit, fossas hostium cadaveribus complevit: inde ex pudore crevit audacia, civitas capta & direpta. Direptæ non diu superstes Halyportugus Seyfeddino negotium continuandum dedit, & summis viribus nixo desperatio præ fortitudine hostis incussa: cum urbem miserabile incendium, arcem commeatus inopia, milites inquietudo graviter afflixit. Triduo ante quam arx expugnaretur Sulyman XLVII Regni anno inter flagrantissimas arcis potiundi spes morbis, & senio gravatus, accedente ad vitiatæ tibiæ dolores alvi profluvio expiravit: Celata mors ejus astu Mehemethis cognomento *Magni* dum Selym regno imponeretur; fictaque edicta, quibus ad audaciam Turci incenderentur: quare ad extremum Szygethum debellatum. Zrinyi precioso vestitui cædenti præmium 100 aureos imposuit, eruptionem fortiter tentavit, & interfectis oppugnatione hostium XX *aliis* XXX millibus volando famâ vires acquirente,

quirente, inter conferta Turcorum cadavera non inultus cecidit. Caput Viri fortissimi die integra spectaculo habitum, Mustaphas Budensis ad Salmensem transmisit; Csaktornyæ conditum velut in admirationem rerum gestarum, Cæsareus exercitus ad Abduam deduxit. Inde Cæsari metus à Sulymanne, orto & ad Jaurinum incendio totis castris trepidatum, cum Rainus Thrax qualem Turci mortem injecit, quam discessus Johannis insociabilis Tatarorum societatis metu confirmavit. Tatari Tocajo digressi cis & ultra Tibiscum, inter Bodrogum, & Samossum cuncta miserabili cæde pervaserunt; tentarunt quoque nequicquam Svendium, quod schlopetis, & falconibus rem gereret, Tataro præsentium trepido Jam Szabolcsium perusserant, Biharo imminebat. Johannes cum nec captivos impetrasset, nec modum prædæ persuasisset, inter Debreczinum & Uyvasarum prælium immisit, quo profligatis Tataris suos liberavit. Maximiliano sustinuisse bellum satis visum est, miles exauctoratus, Canysa munita, Viennam recessum. Gloriosior Mehemet hes Baboczam incensam Turcis asseruit, Selymo ad Valkovarum obv am processit. Selymum Turcia agnovit, Hoszutothius legatione remissus, *obsidem vivo Parente venisse, quo denato apud quem obses sit ignorari*, regresso Sulyman ultra Adrianopolim

polim offensus curru agresti, quadringentis plus minus comitibus velut in *ostentationem fragilitatis humanæ* circumvectus.

CAPUT VIII.

Bellum Cæsaris cum Transylvano, & firma pax: Johanni mortuo succedit Stephanus Bathori: Caracbondii & Gubeczii motus: Maximiliani in Regno Poloniæ à Bathorio præversi mors.

GEorgium Bebecum supremum copiarum Imperatorem, Bajomo & Desnone inscriptis Johannes proclamavit, Svendius denunciat partem deserat, aut dicto obediendum, aut arcibus spoliandum fore: accurrit Bebecus imparatus à milite *recte consultans hoc ipsum agit. quo pacto de industria mentiatur*, simulat transfugium veritatem occultat cunctatione spem frustratur. Svendius astum & dolum apertâ vi aggressus ad arces ejus se convertit, Szendreonem occupavit, Szadvarum circumcinxit. Tanto hic colubrinarum ictu propugnatum est, ut aggeres contra arcem structi non sine Svendii periculo disjicerenter, nec tamen segnior Svendi pugnat, molitur. Bebeco cum suis Turcis nequicquam solutum subjecit; Bebeco

beco incolumis Tranſylvania privatas res ſalvas præſtitit, publica prodendo non ſervaturo propria. Habito conventu, Sigiſmundo Forgacs, Johanni Reubero, & Vernero à Ractenavio pugnaciſſimis alias Suendii Ducibus viſum non irritandus Johannes, (a) doloris vindicta, & ſi juſtior, videtur acrior, forti magis quam prudenti ſpiritu internecio accerſetur. His rejectis Munkacſum preſſum; arx ſuper rupe nullâ montium ſerie natura inexpugnabilis imbelliâ Iohannis Lugaſſi, & Demetrii Cſerepeſſi tradita, Maramoruſſium perventum ne Huſztum perdomaretur hoſtis audacia obſtitit. Iohannes ſocio Haſane Temeſvarienſi Kœvarum profectus, præfectos Thomam Viermandi, & Petrum Solyomi ad mortem coegit, cæteris minus vigilibus caſtrum ſubmiſit, Svendio pacem petenti, dolore quaſi extra ſe raptus nunciavit, vel Cocytum exciendum; Rivulinum Dominarum illico portas aperuit arx à Balaſſio colli inædificata, caſtrenſibus ad unum vitam Cæſari donantibus duorum millium Tranſylvanorum cæde ſtetit. Plura tentaturus Princeps per omnes nervos articuloſque comprehenſus, velut inteſtino ſingulorum bello impugnatus bello ſuperſedit. Haſanes ejus inſociabilis ſocius Dedeſſam venit, quam deſertam dum incautius vaſtat, funiculus pulverem ſuccendens

(a) A. 1567.

dens quadringentos Turcos puncto temporis discerpsit; inde Puthnocum Gagibathorum, Finca, Gesztelyum, Vadaszum, Monachium hosti accesserunt. Svendius, pugnare non ausus Cassoviæ se tenuit & castigatâ insolentià; cum pax omnis civili bello utilior fuisset, vulnus curatione resciffum. Malis Cæsar pacem maluit, æquus fortunæ æstimator, potius laudem humanitatis qua hunc nemo vicit quam voluptatem ultionis concupivit; Veranczius & Christophorus Tieffenbach orarunt; nec Selym difficilis, bello quo sexaginta millibus suorum amissis Cyprum submisit intentus: munus honorarium Turco promissum, facta jus facta, quæ exemplo acciderunt juste fieri putata. Pacem externam domesticæ insidiæ excepe-runt. Sexagesimus septimus supra quindecim secula compositæ Reipublicæ annus videbatur; cum in Regem ab exteris securum, (a) atrox & cruentus dolus struitur: Iohannes Sigismundus per Georgium Boscai ad cædendum Cæsarem regnumque sibi Hungaro tradendum Dobonem, & Balassium, tot beneficiis Regi notos impulit. Emersit tanta conjuratio indiciis Georgii Cakoczi, ac Ruberi divinâ prorsus protectione, qua omnium hominum ac præcipue Regum vita continetur. Dobo & Balassi ambo publico conventu convicti, ambo arbitrio

(a) A. 1567.

arbitrio Cæsaris traditi, quamvis Balassi carcere effracto, & Turcis instigatis scelus sceleri addidisset rarâ clementiâ veniam impetrarunt. Nec verâ nec pudendâ viâ proficuus Johannes ad pacis artes se appulit; (a) & fœdus sincerum si in scelere sit sinceritas contra Turcos icit: auctor Bekessius, cæteri Proceres instant ne inscio Selymo cujus beneficium est Transylvania quicquam tentet. Sed his rejectis, prout in summa fortunâ æquius quod validius, scelus fides habitum, exitus rerum, & merces, non causa quæsita. Conclusum: Johannes Serenissimi Principis titulo Transylvaniam, Biharum, Carasznam, Maramorussom, & Szolnocum exterius habeat iisdem iidem amici, & hostes Selymus suppressâ pace retinendus; pulsus à Turcis Transylvanus Opuliam capessat abolitioni ante actorum futurus Princeps Cæsaris cliens additum! Ita unum fœdus ruptum, alterum percussum Christianis invicem fides obstinata fuit, misericordia in promtu, adversus socios Deo infideles hostile odium. Varie hæc post modum quoque jactata sunt: amicitiam quidem inimicorum Dei velle ac in cladem, & ruinam nominis Christiani, ethnica arma atque fœdera suscipere detestandum: cum autem ob probabiles, aut certas circumstantias vetustior fuit amicitia ac societas, jugum

(a) A. 1570.

gum focii à fide alieni duci, confenfum quæri vel exceptionem fieri, certo cum hoc amicitiam, hofpitium atque fœdus commune haberi poffe juftum fuit. Non amplius contendendum à focio in caufa tertii in fœdere vel non intellecti, quam quod fuafionibus affequi poffis; Chriftianum effe aut non Chriftianum juris gentium non refert! Nec Muhammedani ii quibus obambulantibus vel in jure errantibus viam monftrare effet Chriftum negare, Chrifto gratiam æque omnibus promittente, prout non mifericordiam confequuti, mifericordiam confequuti in miferatione, & vocatione nemine exclufo dicimur. Cætera non eft hujus loci difpicere, quo compendia rerum fine circuitione fectamur. Magis pie Maximilianus Pontifici, Hifpano atque Venetis rogatus fœdus contra Turcos fœdus cum his objecit: quos Johannes Auftriacus Caroli V nothus, Sebaftianus Venerius, & M Antoninus Columna memorabili ftrage ad Echinadas infulas affecerunt. Cæfi *XXV* M. Claffis CCL navium corrupta, aut in Chriftianorum poteftatem redacta: Uluzales cum XXX triremibus effugit: qui poftea Fabianis artibus rem Turcicam reftituit. Bekeffius confirmando fœderi ad Cæfarem miffus eft. Comperto ille Blandratæ indiciis brevi Principem exceffurum, Regno inhiat, illius voluntati, & fuis ftudiis non fervitu-

rus

rus tergiversatur, ficti labores, molestiæ, & affectus in morbidum Principem, tanto minus crediti, quanto veræ affectionis modum excedebant. Iohanna Alberti Bavari obscure promissa primum, Iohanni unitario negata: unde mœrore morbum lacessente, horrendis quinquaginta quatuor dierum cruciamentis Goergenyi agitatus, (a) nec patente domo nisi Socinum sequuto postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Vir acerrimi ingenii, cum quibus educatus fuit sordido vilissimorum, vilissimarumque commercio in omnia scelera proclivis, religionis non æstimator, naturæ fines exivit. Inde Caspar Bekessius sumsit audaciam, unitarius Turco proprinquior, à Prætorianorum præsidio validior: sed ipso repulsam passo Stephanum Bathori Somlianum pacis & belli artibus clarum propendente & Cæsare Selim confirmavit. Bekessius irâ & pudore plenus rimarum, hac atque illac perfluebat; uno etiam superbiæ ostentamine favore Prætorianorum eodem quo & fortuna inclinante, ex dolente furens gazam Iohannis Fogarassum congessit: ipse inquietus tam gravi vulnere, recrudescentibus simultatibus, quæ ipsi non mediocres cum Bathorio intercesserant, hostem Bathorio quaquaversum quærebat; odium priusquam in nervū erumperet novi motus Moldaviam

(a) A. 1571.

inundarunt. Alexander mortuus filios reliquit Bogdanem, & Eliam: Bogdan renunciatus Vayvoda quod Valachicam religionem exactè non servasset; crudelitatis & fictæ Turcorum cædis in Porta insimulatus est: sede dejectus cum fratre in Poloniam profugit, Ivonius, seu Johannes ejus nominis Stephani quondam Vayvodæ ex concubinâ filius instantiis Bojerorum à Selyme confirmatur. Eliam Turco Polonus dedidit, deditus, Veneno solito Turcis in Clarissimos Pharmaco, dum metus ab his impendet, nec sufficiens aperta vi agendi causa Byzantii sublatus est: Bogdanus in Moschoviam profugit, ubi Iohannes Basiliades belluinæ crudelitatis Dux Lutheranismi suspectum culeo insuendum jussit nec diu Ivonius Princeps: cum iniqua postulantibus Turcis negasset, à Polonorum copiis firmus proditionem suorum sensit; comprehensus interfectus, Petro Transalpinæ principis fratri locum dedit. Dispari ratione, non dispar exitus fuit Gregorii Carachondii Rivulini cognomen *Nigri* ex re adepti: is simulatâ pietatis specie, jactatis revelationibus, Turcum excutiendum superstitione, non ratione vulgum movit, rudes rerum in sententiam traxit quinque millia armatorum parvo tempore confecit. Lacertosus ipse, ut soleam equi ferream in diversum distra-

(a) A. 1572.

distraheret, tantam sui admirationem concivit, ut Valentinus Hellopæus in fatidicum Agriæ publicâ concione invectus sede decuteretur. Sanctitatis specimen editurus Bala Szent Miklosum irruit, asseverans vel sponte muros collapsuros, vel cęlitus delapso igne Turcos cremandos. Turci struem arundinum, & straminum circa arcem perusserunt, hostem ex materiâ compendium captantem elusuri. Advolant Nigriani, ignem cœlo delapsum, vaticinium veri Prophetæ impletum: sed cum nec muri deciderent, & arx integra esset, mœsti dum redeunt à Sasuare Mamhuti Szolnocensis legato fœdâ strage percelluntur. Clade Niger Szolnocum obsedit, peccatis suorum, ut *revera erat* primum certamen decollasse, se Imperatore aureos montes promitti: cum porro neque hic muri concidissent, & validissimos suorum amisisset, cæterorum spes frangi cœpit. Debreczinum movens Prætorem superbiæ impatientem indictâ causâ suspendi jubet; jussum antequam effectui manciparetur indignitas ęstimata ortus per civitatem tumultus, Niger à promiscuâ plebe captus, & publica securi percussus documentum dedit, ne *quis in honestas cupiditates religionis glaucomate obtegat*. Eversi mortem ulturus Nicolaus Szuecs à Nicolao Bathori primum connivente eversus ipse est. Majus malum in Illyrico: X millia rusticorum inter Savum,

ni Bathorii imperium: Bekeſſius nec minis Principis nec precibus Regnicolarum in ordinem redigi ſe paſſus Fogaraſſii à Bathorio obſeſſus eſt; viris tuendæ arci deſtitutus, extra arcem penetravit, pernicitate equi Aſiatici ad Cæſarem effugit: Arcem Paulus Gynlai futurus Principi à ſecretis: Principi tradidit, impetus in fortunas factus theſauri quos Bekeſſius varia arte pepererat in direptionem ceſſerunt: ita Caſpar dum rem quam noverat dolore impeditus non perſpicit, Principalem dignitatem & violentum imperium concupiſcit, propriis ipſe ſpoliatus eſt! Nec minus prudentia, quam fortuna culpata, Regnum legato uſurpaturo; *tantum enim contendendum in Republica quantum probare tuis civibus poſſis; vim neque parenti, neque patriæ afferre oportet.* Murathes quinque fratres ſe inſpectante jugulari paſſus Selymum excepit; inducias cum Patre ratas habuit, ſomniis quibusdam in Hæreticos *P*erſas incitato pax in occidente, bellum in Oriente cogitata. Horum tranquillitate motus ex Poloniâ: Carolus IX Rex Galliæ svanienâ *P*ariſienſi madens obiit: frater ejus Henricus Rex à *P*olonis dictus, vix deguſtatâ *P*oloniâ in Galliam conceſſit, Regnum ad ſe devolutum arrepturus. *P*oloni ſe deſertos queſti Regnum, ad Interregnum deveniſſe Varſaviæ concludunt: Sed parum de ſucceſſore concordes, Competitores

Cæſar, Johannes Suecus, Johannes Baſiliades ſedulo partes urgebant; nec dum Stephanus Bathori animum appulerat, vel diffiſus, vel majus ſuâ fortunâ ratus, cum Samuel Sborovius in Tranſylvaniâ cæde Vapovii Premiſlienſis Caſtellani exul viri magnanimitatem publice deprædicavit. Tractus in ſententiam Petrus Sborovius Craccovienſis Palatinus, Somlianus ſuum nomen profiteatur juſſus, inſuetâ fœlicitate parvo tempore Baro, Princeps, Rex, non indignus faſtigio. Pars Polonorum Maximilianum deſtinavit, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi proclamatum ſed proclomationi loco & more non debito factæ renunciatum Sborovii factio ſuperior fuit. Cæſar diſtinendo Bathorio nec valde ambienti, nec reſpuenti qui Meggyeſii juramentum Polonis præſtiterat Bekeſſium amandat Tranſylvaniam occupaturum, Bekeſſius vires tempore acquirens tanto ſilentio Radnotum pervenit ut Bathori hoſtem in medio regno ignoraret: nec incertum fuerit debellari potuiſſe niſi mora infrugifera tracta eſſet. Bathori pene victus medio tempore ſuos convocavit, Mehemethem Lippæ Præfectum accivit, Bekeſſium ingenti animo vicit: Ungari Prælio capti ſinguli in libertatem vindicati, Rebelles Tranſylvani miſeræ Turcorum ſervituti permiſſi, *miſera fuit ipſa victoria quæ etiam ſi ad meliores venit, tamen eos*

eos ipsos etsi tales naturâ non sint ferociores atque impotentiores reddidit; nec tam victoris vitium, quam victoriæ fuit; quæ bello civili semper insolens. Cæsar cunctando fortunam frustrari visus: nam dum ambiguus hæret de legibus in quas jurandum erat,(*a*) & formulam mitigari petit Bathorius victoriâ partâ acceptior, eum antevertit, Transylvaniam Christophoro Fratri tradidit, ductâque Annâ Sigismundi Augusti filiâ Poloniæ potitus est. Bekessius in Scepusium profugus mirâ audaciâ Poloniam ultro petivit, ad pedes Regis abjectus dum ad futura trepidat, præter spem accidit ut crudelissimus hostium humanitate vinceretur: Hungarici nominis militiæ præpositus: multum præstitit contra Dantiscanos caveri de privilegiis postulantes, & Moschos Livoniâ vastatos totâ. Infœliciori contrà Maximiliano, alia infœlicitas, accessit: Johannes Balassius famulum Benedictum Pinterium Keckeone in eundem cum cæteris Turcis carcerem compegit; pinterius locum & tempus arci prodendæ ementitus hostibus, quatuor aut quinque Turcos fune in captivitatem Domini sui traxit. Non tulit insolentiam, Alybegus Cara Albensis, dolum aperte vindicavit. Johannis arces Keckeonem Deveniam, Somoskönem intercepit. Nicolao Istvanfi peroranti fœdus esse, nec valere

 quos

(*a*) A. 1575.

quod contra id factum est, respondit Budensis arces Murati notas nec Purpuratum reddendo parem. Inde in Illyrico sensa calamitas: Ferhathes Bossenensis rapuit Topuscam Bonitium, ac loca inter Colapim, Dobram, Mresniciamqe flumina; Aurspergum cum non satis se ad Radoniam expediret cum toto exercitu fregit, delevit, Businium, Czasium, Suaciciam, Zrinyium partim occupavit, partim concremavit. Mox Maximilianus cœlo donatus, terrena alios habere jussit famâ moderationis, & justitiæ ingens apud posteros, (a) in quo ad summam fortunam nihil desideres nisi ipsam fortunam: cum à maiorum sacris non recederet; non propterea Protestantibus suspectus, nihil magis quam pietatem ursit: Laudatur ejus dictum ad Guilhelmum Antistitem Olomuczensem: *Religionem Christianam occidi non occidere, gravissimum scelus esse conscientiis dominari, id vero esse cœli arcem invadere.*

C A-

(a) A. 1576.

CAPUT IX.

Rudolphus Ernestum Fratrem Hungariæ, Carolum Patruum Illyrico præficit Scanderbegi; Sasvaris, & Ferharis clades: Gregorii Pontificis Kalendarium: Christophori Bathori excessus: mirabilia ad Ovarum, & in Chroatia: Hasanis & Palfii excursiones: Bathori Rex Poloniæ moritur; in qua Maximilianus prævertitur: Sasvarus ad Cacerlacum; Ferhates ad Sixoviam caeduntur.

RUdolphus II Patri tam in Germaniâ & Bohemiâ, quam Hungariâ suffectus varie Augustam dignitatem administravit; tumultuum factionum, & bellorum satis sub eo fuit, rupta pace Turcicâ, tam ex parte Hungariæ, quam Transylvaniæ mille mutationes passæ. Turcus pace pacta, accep tamen belli Gonsdanscum in Sclavoniâ occupavit, argenti fodinas corrupit, Carnos excursibus reddidit opportunos: huic frenandò Cæsar ne veterem ferenti injuriam irritaretur nova Carolum Patruum Illyrico, Erneстum Fratrem Hungariæ præfecit, ipse in Bohemiâ intervalla negotiorum otio dis-

puncturus: frendunt, ringuntur cives Palatinum leges postulare, novum exemplum obtrudi, *tanto mitius habiti, quanta acrius in immunitates involatum est.* (a) Carolus, Ferembergio, Vito, Halleco, Ungnadio ultro nomen dantibus, ex Carinthis Carnis, atque Styriis exercitum fecit, in territorio Dubocziano Carolostadium erexit: Businium, Czasium, Zrinyium & alia nuper ablata dominio restituta, non difficilius amissa, quam adstructa. Inde Georgio Zrinyio, Balthasari Battyani, Francisco Nadasdi, & Halleco crevit vindictæ, & futuræ tranquillitatis studium: Barcia muniri cœpta; jamque intentorum cogitationem Alybegus Szygethanus trium millium turma pene disjecerat; cum Battyani fugientibus suis fugam hostis ementitur, milites retrahit, Begum nova auxilia suspicatum profligat. In partes Poseganas effusis Schanderbegus Ulumæ clarissimi filius tantæ voracitatis Posegæ Præfectus ut integrum vervecem prandio absumeret, victus deletus signa militaria viginti non sine trepidatione reliqui Illyrici victori permisit. Et quasi hoc tempus castigationi Turcorum curreret similis fortuna ad Nadudvarum Tibisco proximum; Szolnocensis Sangiacus quod Szygethum postmodum acceperit Sasvares dictus Colnicium, & Bathorium ad insidias elicuturus.

(a) A. 1579.

eliciturus elicitus ipse est, pugnat multitudine cinctos premit, nec spes vitæ amplius Christianis superfuit cum paulatim recedentes ab Andrea Barbelio Agriæ Præfecto Raibicium acceperunt: Raibicius à latere superveniens schlopetis rem gerit, conclusorum hostium trecentos, perimit, quadringentos servos, & tredecim signa secum rapit. Id pudendum Sasvares meditatus, cum ipse Muslemannus sit à Christiano vinci; villas ad Onodum, & Diosgyörum perussit, alios gladio suppofuit, alios mancipia traxit: præda ditiori quam fœliciori Serjenyius, & Rajbicius occurrunt, concurrunt, & quasi hic esset Sasvaris sepulchrum, *quo affectus impotentior hoc futurus inferior* vincitur, cæditur, jamque comprehendendus agasonis habitu ad Tibiscum fugit. Nuntium cladis Constantinopolim perlatum est: Sinam Veziraremus fremit, furit, terribilia minatur: intellecto tamen præda onustos in hostico esse cæsos, damnum non sentire visum propria culpa sentientes. Induciæ in alterum octennium roboratæ, sed insuper habitæ: Hasanes Szygethanus cuncta miserabili cæde ad Arrhabonem pervasit, quomodo sterilitatem aut nimios imbres & alia naturæ mala, luxum vel avaritiam dominantium plebe tolerante; unde Ferhates Bossenensis audendum & ipse ratus; novem mille con-

M 6 grega-

(a) A. 1583.

gregavit, (a) in Carnos infestandos summa voluntate incubuit: Josephus Justus Comes Turrianus, & Petrus Erdeodius Sclavoniæ Chroatiæque Banus sine mora tanta virtute ejus tergo inhæserunt, ut exiguo trium aut quatuor militum impendio, quatuor millium cædes, reliquorum captivitas aut fuga constaret. Hæc objecta Paulus Eyzinganus Orator, & Henricus Lichtensteyn qui munus Byzantium detulerat partis insolentia diluerunt, Szultanus ipse Murates intellecto initio testatus est jure factam cædem, nec velle se ad turbandam pacem quicquam attentari. Ut in fortuna ita in die mutationem causavit Gregorii XIII kalendarium: Priscus Romanorum annus non decem quemadmodum voluerunt Junius, Gracchus, Fulvius, Varro, Ovidius, Svetonius, sed duodecim mensibus constabat; quæ sententia stetit Licinio Macro, L. Fenestellæ teste Censorino *de die natali*: dierum summa extitit trecentorum quinquaginta quinque. Qui quia à Nabonassareo anno diebus decem defecit, exactis singulis bienniis inter Terminalia & Regifugium alternis viginti duobus, & viginti tribus dies intercalabantur; viginti duo quidem post 22 Febr, viginti tres post 23, Merkedonii dicti, post quam intercalationem viginti octo dies ordinarius Februarius relinqueban-

(a) A. 1584.

bantur. Hæc intercalatio celebrata est sine interpellatione præter quam post duodecimum biennium; quo Merkedonius 23. dierum omittebatur, quod in caput suum tunc putaretur annus exire. Sed unus dies abundat: & cum vitiosa esset intercalatio, crevit vitium per libidinem intercalandi, Pontificibus ôdio Magistratuum, nunc maturius nunc serius intercalantibus; ita ut quadragesimo quinto ante Christum anno, caput prisci anni qui à Martio incepit, incideret in Octobrim Cæsari reformatum. Quare Julius Cæsar Pontifex Maximus, & dictator unus ex eo tempore omnia in Republicâ edicto sanxit annum Solarem Calippi Cyziceni. & Aristarchi Samii dierum 365. cum quadrante; & quadragesimus quintus ante Christum quo fasti emendati confusionis dictus, fuit 444. dierum, diebus 79. major Juliano, quo sequentes anni sint distinctiores. Jussit porro post exactum quartum annum diem intercalari, quatuor quadrantibus plenum diem dantibus. Cæsare secundo anno Juliano interfecto Pontifices mentem ejus non assequuti inclusive quartum annnm intercalarunt: quod Augustus correxit: cum enim per triginta annos non 9. sed 12. dies intercalati essent, edicto proposuit 12. annos sine intercalatione procedere à trigesimo septimo anno ad exitum quadragesimi octavi! Quæ intercalario quia cœpis

cœpit post 23. Februarii anni 49 Juliani annus bis sextus appellatus. Hanc rationem quamvis certiorem aliis postea deprehensum est centesimo trigesimo quarto anno die excrescere supra Solis rationes; quod non plene quadrans accipiendus sit. Nam cum æquinoctium hodie sit in undecimo Martii Juliani, Constantini M. ætate in 21. Cæsaris 23. aut 24to fuit. Et cum Pascha celebrandum esset Dominicâ proxime sequente plenilunium, proxime post æquinoctium: Patres Nyceni statuerunt plenilunium post, 21 Martii terminum Paschatis; quem terminum proxime sequens Dominica, esset Pascha resurrectionis. A quo tempore magna in æquinoctiis confusio: quam Dyonysius Abbas Justiniani ævo, sed ad pauca tempora correxit. Johannes Regiomontanus ab Innocentio 8. Romam hâc de causâ vocatus priusquam desiderio satisfaceret extinctus est à Georgii Trapezuntii ut putatum est filiis. Gregorius cum multos consuluisset, ne simile quid Cæsares molirentur Antonii Lilii Medici suggestione rationem Kalendarii ab Aloysio fratre emendati, Michaeli Mæstelino, Francisco Vietæ & aliis oppugnatam, Christophoro Clavio propugnatam proposuit: quo ablatis è mense Octobri decem diebus, decimâ quartâ lunâ primi Hebræorum mensis, quo Pascha celebratur; ad 21. Martii ubi tempore Synodi Nycænæ

fuisset

fuisset reducitur. Ernestus Kalendarium jussu Papæ Hungaris obtulit: obloquentibus multis Canonem Concilii Nicęni de Paschali celebratione non Papæ, qui tum potestatem hodie usurpatam non tenuerit; sed Cæsaris Constantini qui Synodo præfuerit, & Patrum decreto conditum; nec valere cui causam non dederit concilium legitime ab Imperatoribus convocatum! Ernestus coactus negotium distulit, sequentibus comitiis renovavit, & assensum Procerum expugnavit. (*a*) Sequuta est mors Christophori Bathori Principis Transylvani, uti *nihil excelsum durat perpetuo*: Sigismundum filium ejus impuberem Stephanus Rex Polonus tutelæ Alexandri Kendii, Ladislai Zombori, & Lupi Kovasoczi supposuit: sed cum trium virorum æqualitas status, inæqualitatem sensus augeret, nemine tantum cæteros excellente, ut aliquis se submitteret, discordia Collegarum neque ipsis honori, neque Reipublicæ usui extitit, *dum omnes rem curant, nemine curante.* Abdicatis tutoribus Johannes Geczi Varadiensis Præfectus vir integritatis vitæ, & ingenii eminens Gubernator pronunciatus est: Varadinum Georgio Sibrik commissum per Paulum Gyulai muneris suscepti monito. Quo quidem tempore Epidemica lues omnes Europę partes gradatim peragravit. Septembri mense Germani-

(*a*) *A.* 1581.

Germaniam atque Hungariam infestavit; morbus quod verveces ei sint obnoxii, vervecinus dictus; paucis lethalis, omnibus frigore, & tussi permolestus; ad Zagrabiam, Posonium, & Viennam terra mota ad Ovarum ignem concepisse visa. (a) In Chroatia ad Bihigium noctis silentio anatum & anserum multitudo in aëre depugnavit, pugnæ loco aliquot millia mutuis vulneribus mactata lautitia collectoribus fuerunt; contra in Thraciâ locustis pluere visum, ut absumerentur ejus anni fructus; Dispare terrarum vultu, dispar hominum status visus: Hasanes Szygethi Præfectus Murakeorum, agros inter Dravum & Muram prioribus bellis intactos summâ celeritate pervasit: Zrinyi Ullaviâ voluptuariâ sede advocatus dum serius se expedit, hostis Arrhabonem transnatat, Simoni Paulicovitio nequicquam tentatus. Mala hæc meliorum interventu pensata: Nicolaus Palfi in Comaromii Præfecturâ Ferdinando Nogarolæ Comiti suffectus, Ferdinandus Speciacassa Beszprimiensis & Franciscus Nadasdi irruunt in Isacum Albensum, vallo Palfii ex adverso Komarom imminentem: cumque intempestâ nocte mutuis erroribus se invicem mactarent, inalbescescente cœlo gravius incumbunt, Isacum fugant, novis tentandis occasionem captant. Nadasdio, Speciacassæ Beszpri-

(a) A. 1586.

Beſzprimii, Huſſaro Papæ, Ormandio Palotæ Præfectis Coppanum interceptum: latum acceptum aſtutæ prævaricationi Pauli Hegedeus; flexi erant ſinguli in Boſſenam ne Coppanum volentes Turcis Latraniis, Endrediis, Bolondvariis, & Kapoſſiis includerentur: Hegedeus ad Huſſarum cum ſuis præmiſſum ablegatus à re plenâ periculi in Boſſenam vertat; clamat, ſuadet iret modo, & plagas tenderet cæteros ſequuturos; ſequuturis Huſſarum non obviaſſe fictum, Coppanum expugnatum, Sangiacus, præda magna, & 60. promiſcui ſexus homines victores *non ditatos* ditarunt. Elati, & novam ex bellis gloriam quærentes à fortunâ caſtigati ſunt non tam nominis quam famis ſtudioſi; Budam aggrediunrur, armenta à Kelenfeld cæſis puncto temporis cuſtodibus abigunt: Palfio cum non perſuaſiſſet ſuis moram periculi eſſe plenam Ferhates Budenſis inſtitit, cædem graviori cæde reddidit, ſigna militaria XXII. abſtulit; inſultantibus vel mulieribus Budam ibi eſſe non Koppanum. Majus bellum ex Poloniâ. Stephanus Bathori æque Polonis, (a) ac Tranſylvanis defletus Grodnæ denatus eſt: Sborovios quibus Regnum debebat, varie ob flagitia preſſerat, cætero Regno antiquam dignitatem reſtituerat: horum factio præterita abolet, Jonannem Samoiſcium partis facto.

(a) *A.* 1586. 2. *Dec. A. Regni* 10.

factorem ductâ Griſelide Bathoreâ Stephano affinem exauctorat, Sborovium reſtituit. Advolat ad Comitia Samoiſcius armatus, Lithuani niſi conditis gladiis recuſant adeſſe; Boruſſi ſe negligi queruntur. His ſopitis de Rege conſulitur; propoſiti Piaſtus unus Procerum, Theodorus Moſchus, Maximilianus Frater Cæſaris, Sigiſmundus Svecus Johannis 3. filius aderat & Tatarus: potentem ſe eſſe Poloniæ tuendæ, frugalem & continentem: quod religionem attinet: Pontifex tuus Pontifex meus, tuus Lutherus meus Lutherus eſto. Id: Sextil eligitur Sigiſmundus annitente Samoiſcio, proteſtantibus Sboroviis Maximilianum tuitis; Lithuani rem ſorti committendam monent ſed Sborovii in ſententiâ perſtant. Samoiſcius à Johanne Geczi Gubernatore Tranſylvano adjutus Craccoviam occupavit, regni inſignia in poteſtatem redegit: Maximilianum mille deſideratis, trecentis captis obvius ad Clepardiam proſtravit! Auſtrius ad Quadorum fines Bicini ſe concluſit: à Præpoſtvario fugam tutiorem non perſuaſus obſeſſus, captus ſummâ moderatione Samoiſcii Rodlone cuſtoditus eſt. Cæſar naturâ ad audendum aliquid piger, decus & periculum contempſit, ſera Imperialium, & Hungarorum auxilia parvi fecit. Exoratur ergo Pontifex: mittitur Hippolytus Aldobrandinus qui poſtea Clemens octavus fuit

fuit Auſtrio libertatem, Polonis concordiam Sigiſmundo majorum religionem confirmaturus: hujus diligenti opera Maximilianus ceſſione regni, à quâ Sborovii, & Staniſlai Staniſcii vanitate per annum diſtentus fuit, & XLM. Joachimicorum libertatem emit. Nondum adverſitas vulgata erat, cum Sasvares revera jam Saſvares ſive Szygethanus Begus inter Muram & Cerniciam cuncta eâ ſuperbiâ populatus eſt ut occultum iter conſulentibus nullo diſcrimine virtutis ac doli proſperos omnes laudari bellorum eventus: latro ipſe latrunculorum iſtam eſſe ſolertiam jactaret, iturum ſe palam, & Georgio Zrinyio Canyſæ monſtraturum. Itaque contemptus hoſtis pro victoriâ fuit: Zrinyi, Nadaſdi, Battyani, Johannes Glo-bicerius & Johannes Fridericus Trauthmanſdorfius inter Sarcaniam inſulam, & Cacerlacum pagum junguntur: tormenta Canyſæ ſilent: id timorem arbitratum Saſvarem ad Paulinum concludunt, pugnare adigunt, duorum millium cæde, nec paucorum captivitate debellant; Saſvares nudus ex pelle tigridis collo: geſtati plantariis aptatis verſus Berſenciam fugit, Conſtantinopolim ob excurſiones citus, laqueum veneno, mortem morte effugit. (a) Habito Poſonii conventu frementes Hungari trimeſtrem ſenatum, & Hungaricos Præfectos tandem

(a) A. 1587.

tandem expugnarunt; quorum virtute Turcus ad Sixoviam ſtratus. Ferhates Budenſis pecuniæ aviditate cœcus , *prout dives rapto , & non probe partis paupertati obnoxius , non eſt quod alienis rebus , ac vi temperet* , cenſus paganorum auxit, pagani paſſim diffugerunt, Sixoviani aureos mille annuos intermiſerunt: Advolant Ferhates, Caralibegus Albenſis : cenſa ad Rimaſzombathum ſex millia equitum , totidem peditum. Sigiſmundus Rakoczi , Stephanus Balaſdeak, Stephanus Homonnai , Thomas Szecſi, Johannes Barci duorum millium, & quingentorum turmâ tot hoſtes inter Hernadum & Barſonyoſum tentarunt: jamque undiquaque circumventi fugâ Razaczii clariſſimi viri cum cæteri fugiſſent novus clangor , novas ſuppetias ementitus , novo impetu victori victoriam eripuit. Caralis & plerique hoſtium duces vulnerantur , Rakoczius recurrit ſuſtentare pugnam impotentes quatuor horarum prælio; quod noſtri deſtinatos mori aut vincere animos attuliſſent, bis millium cæde trecentorum ſeptuaginta ſex captivitate , & ſexcentorum impendio in fugam vertuntur ; Ferhati ſuorum clades, & gaza cui tantopere ſtuduerat capite ſtetit , priuſquam aliquid caperet , ipſe captus.

CA-

CAPUT X.

Hasanis Bassenensis acta: pax rupta: Sinan Beszprimium ac Palotam occupat Hardeccus, & Palsi Turcos ad Albam cadunt: nostri variis castellis potiuntur: Maximilianum, à Strigonio Sinan rejicit, Jaarinum subjicit, Comaromum frustra tentat.

INde ad publica arma ventum; (*a*) post tot minus fœlices Sinanis & Osmannis Temircapini pugnas fœdus cum Muchemethe Hodabendâ Persarum Rege ictum. Sinanes nuper inprosperâ pugnâ Masul incrementa rerum quæ in oriente voluerit, de Occidente quærit, bellum in Europam transferendum summis viribus pariter & nititur, & acriter sibi contradicentem Muphtim venenato convivio tollit. Hasanes Bossenensis bellum quærat jussus, primus fœderis ruptor primus pœnas dedit: quinque millibus armatorum inter Crisium, & Ivaniciam obvia populatus, Custaricium succendit; Bosiacum occupavit, inde terror longe serpsit, de Roconocco Verbociâ Szentolonâ præda acta: Gradisciam recessurum Grasbanius Labohatius, & Michael Szekhely aggressi

(*a*) *A.* 1590.

aggressi Osmannem quidem transmittendo Colapi cum parte legionis intentum flumine concludunt, cædunt & dissipant: Hasanes porro incolumis visus: qui ex ulteriori ripâ cum suis opem ferre vel præ metu non vellet, vel præ flumine non posset tristis & majora comminatus retrocessit. Nec mitior fuit Hasanes cognomento *parvus* Szygethanus Præfectus: Segusdio Kiskamaromum venit, ascendit cepit tantâ celeritate ut prius civibus decollatis arcem teneret, quam Zrinyio sentiretur. Bossenensis ex acceptâ clade dolor ira, cupiditas, & libido ulciscendi increverunt, Rustanem legatum Velithamem, Erdeoglium adscivit, castrum ad Colapim Ranoviciam, ac Goram lacessiturus erigere cœpit: quæ cum utraque voto celerius jugum suscepisset Petriniam castra mota, ad amnem ejus nominis excitandam. Oppuguavit sane & Sisciam muros dejecit irrupit; sed Nicolaus Micacius Canonicus summis viribus restitit; quin & deditionem simulans; nimis credulo hosti imposuit, quingentos urbi immitat, hos Micacius inclusit; laniavit, reliquos exclusit: Erdœdius diu hostis insolentiam tulit, Monoszlonem in potestatem redegit; unde captata occasio! Murates exulceratus, Sinanes oleum igni addidit. Mahomethes ambitiosus Szultani filius suffragatus læsis in minore quam læserant parte fœderis. Imperatur Hasani curet
ne

ne quid respublica detrimenti capiat aut captum non vindicatum extet, Bihigium Christophoro Lambergo extorsit; bonis conditionibus, sed perfide abolitis: ad Colapim Petriniam nuper cœptam perfecit, quinque millia incolarum mactavit, divendidit reliquit. Opponit se Erdeodius castra ad Brescum metatus Grasbanium, & Kapronczium præstolatur opportuniore universis bello: id Hasanes subodoratus per vias occultas confestim irruit. Erdeodium cædit; fugatus tormenta castra & , Durapoliam prædæ permisit. (a) Dum ita ubique trepidatur Ernestus Carolstadium profectus nihilo melius illud bellum gessit: quinque millia Christianornm ad Petriniam multitudine hostium obruta, & væcors centurionum fuga, domitorem omnium Hasanem clamavit. Hasanes satietate paravit ulteriorem famem plus incepit posse habere, plura concupivit: Muratem dubium inter bellum & pacem concitat Sisciam summo 24. tormentorum apparatu repetit. A Blasio Juraco & Mathia Tintitio Canonicis non fortius quam verecundius rejectus, obstinato hosti furias imprecatur Vestigiis abeuntis Insliterunt quidem, Nadasdius, Palfius, Derffius, Sigismundus Forgacs & Kutassius sed nihil contra hostem profecerunt quod imbrium copia plana passim stagnasset. Vere ergo

Hasanes

(a) A. 1592.

Hasanes nunc Magnus proclamatus nunc armorum fœlicitate invictus vastas spes concepit, (a) ignarus per ha in exitium raptari homines, Banyaluccâ Petriniam venit Sisciam tertium aggressus, tertium tuentibus iisdem qui nuper: ex totâ Hungariâ confluentibus Turcis *XXV*. millium exercitus quasi pœnas tot excursionum monstrantibus fatis fortunæ ludibrium factus est. Jam Colapim transiverat; Selinum pervenerat: cum Erdeodius, & Ekenpergus Andrea Aursperigo, Grasbanio, Melchiore Redero Tabio & passim nobilitate militiam professis octo millium exercitum comparant concurrunt: Turcos totaliter cædunt, delent, aut turpem in fugam conjiciunt; Odera & Colapis cruore madent; duodecim millia hostes desiderarunt, in quibus Mehemethem Muratis sorore natum cæterorum magnam partem Spahios, Alaybegos, atque Zaymos. Hasanes cum pontem præoccupare in tumultu fugitivorum non posset ponte dejectus cum validissimis suorum Colapi submersus est, tormenta tentoria & præda innumerabilis in victorum potestatem concesserunt; *Ita surrexit Deus in causâ perfidiæ & ad noscendum sapientissimus, & ad expendendum æquissimus, & ad vindicandum justissimus* nec Petriniam obruere neglexisset Erdeodius, nisi ardentem pacis intuitu

(a) A, 135.

tuitu Equenpergus retraxiſſet. Muràthes commotus à Sinane, & Sorore quę Mehemethem filium pręlio perdiderat, per Deum, & Mahomethum diras imprecatur; Cæſari bellum indicit. Cæſar deprecatus excurſórem puniri debuiſſe Poppelium cum munere ad fines mittit, quod ii bellum inferatur, eſſe hanc non ſcriptam, ſed natam legem, quam non didicit, accepit legit; verum ex naturâ arripuit, hauſit, expreſſit ut vim vi repellat; adverſus tela & inſidias ſalutem ac ſua expediat: pecunia Byzantium mittenda, in uſus belli converſa, legatus apud Portam privatos intra parietes concluſus. Zrinyium & Ekenpergum Petriniæ obſidendæ pertinaces Haſanes Gręciæ Beglerbegus rejecit, Siſciam ſummâ fœlicitate cum nullâ externa ſpes obſeſſis affulgeret occupavit: Sinanes Ferdinando Speciaſſæ aquæ inopiâ, medios inter fontes præ hoſte inacceſſos Beſzprimium eripuit; miles paſſim per Bacanias ſylvas dilapſus, Palota trepidatione Ormandii hoſtem ſuſcepit. Palfi, Zrinyi Ferdinandus Comes Hardeccus non tulerunt inflatum Sinanem: ad Mocſonakum mille equites, decem millè pedites recenſuerunt, quos confluens paſſim civis ad 40. millium numerum explevit Sinanes rei gnarus ſatis providiſſe viſus, an Chriſtianos aſpernatus retrocedendo ſuis defuit. Alba Chriſtianis aditur: Iſacum Ingovano in Urbem profugum Petrus Huſſar exteriore oppido

N

oppido spoliat: ubi dum tormentorum penuriâ obsidiũ longius trahitur, Mehemethes Purpuratus *Magni* filius & Hasanes Beglerbegus cum XII. millibus obvii fuerunt: satis constat deleri potuisse tũ nostros, si ex tempore irruens hostis explicandi spacium non concessisset: sed & ipse Purpuratus parvi hostem pependit, inconditũ agmen aggrestemque multitudinem Isacho persuasus. Collatis signis mirum dictu steterunt duæ acies obversâ invicẽ fronte immobiles duarum horarum spacio mutua admiratione defixi: Hasanes nec melius instrui aciẽ posse nec acriores in bellum desiderari Isacho regessit, hoc vicissim nostri de hostili exercitu prædicaverunt. Palfius primus in Jenicieros invectus est; qui & ipsi tamdiu restiterunt, donec plerique locum quem ceperant, capite amisso, trunco tegerent: sunt hi militum fortissimi, nam & alimenta pueris; & Patribus pro numero filiorum præmia statuuntur, si Patres occiduntur pupilli stipendia Patrum trahunt: animas præterea prælio aut suppliciis peremptorum Turci hoc ipso æternas putant; hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Hardeccus, Zrinyi Nadasdi tanto ardore ipsi quoque in equites invecti sunt ut sex millia peditum, quatuor equitum prælio fuisse extincta non ambigua fides fecit. Sinanus cladem suorum audivit; quâ cur statutum Constantinopolim iter prosequu-

prosequutus sit, nemini compertum fuit. Nec Christophorus Tieffenbach, Bathori, atque Hommonnai segniores visi sunt; à Palfio moniti fortunam periclitantur, Sabatcam ad Rimam summo ardore expugnant: tunc Fueleccum lacessebant, cum Palfi impigrè castra promovet castris conjūgit, arx hosti comitialibus morbis, & vertigine insolitâ laboranti eripitur. Inde Palfius Tieffenbacho, & Bathoreo adunatus Plambesteyniam, Deviniam, Bujacum Aynaskœnem, Somoskeonem, Hollosum; separatus Szecsenum, Dregelum, Palancam velut ex itinere venit, vidit, vicit. Ernestus Prorex Alexandrum Parmensem Belgii Gubernatorem cujus fœlicitate Farnesia inclaruerat excepit; Hungaria Mathiam ejus Fratrem respexit, (a) Palfi & Hardeccus asperitatem temporis majori virtutis aut doli specimini habituri Nogradum tantâ celeritate aggressi sunt, ut Mehemethes Cara, Pheris Thessaliæ oriundus eodem tempore & rumorem acciperet, & se obsessum sentiret; summo tamen animo restitit, cuniculos Palfii elusit, inquietus ipse non datam quietem parvi duxit. Fervebant tam obsidentes quam obsessi, cum Mathias in castra venit, acriore incursu Magister tormentorum hostilium glande ictus est; arx occupata anno quadragesimo secundo ab

(a) A. 1594.

occupatâ. Nec minus alibi bellum: Georgius Zrinyi Sigismundus Herbestayn, & Fridericus Trauthmansdorf Berfenciam hosti extorserunt, Segusdium submissum, Babocziam viæ difficultas obsidione liberavit. Christophorus Tieffenbach Hevesiensi, & Szolnocensi Dynastijs ad suum corpus reducendis pertinax Jazbrinyum expugnavit, Hatvanum circumcinxit: Hasanes Budensis, & Beglerbegus cum depellere conati, decem millium exercitum adduxerunt: eos Tieffenbach ad Turam aggressus Hasanis vulnere in fugam compellit, signa XXV. tormenta XVII. hosti eripit. Mathias L millium exercitu pressit Stigonium; naves frumento saburratæ Szolnoco in urbem avehendæ Francisci Balassii virtute interceptæ vetus urbs Thracum proditione, mons Divi Thomæ Caralibegi, & Isaci Præfectorum casu hosti erepta: sed cum Urbani non sine nostræ classis ignaviâ quingentos Jenicleros scaphis excepissent, Mathias à Nova Urbe rejectus famâ Sinanis tantundem & Tieffenbacho ad Hatvanum proficuo obsidionem solvit. Maximilianus fortunam quæ in Poloniâ decollaverat, bello contra Turcos quæsiturus, ducibus Ekenpergo, Erdœdio, Grasbanio, & Lencovitio Petriniam humo æquavit: Rastoviciam Goram, & Sisciam Christiano orbi recuperavit? Sinan C Turcorum LX. Tatarorum millibus,
Strigonio

Strigonio obſidione erepto, Tatam Georgio Paxio, Sancti Martini Batonyaio & Zadorio extorſit, ad Jaurinum ſe convertit. Jaurino (quod Hungaris Nagy Gyeor, Germanis ab alluente flumine Raba dicitur) Hardeccus præerat: tam gloriabundus, ut gratias Deo ageret hanc urbem aditam, ſeque ad extremum ſpiritum defenſuro tempus virtutis ſpecimini edendo nactum; ſed magnifica verba mors prope admota excuſſit. Sinan Perlinianos aggeres, quos Nicolaus Perlinius Urbinas mirus urbium propugnandarum, & oppugnandarum artifex oblongos, & denum pedum craſſos ex adverſo portæ ſtruxerat, fœdo hoſtis metu occupavit: munitionem Valentini Toti non ſine ſuorum ſtrage cuniculis diruit, cæteris confiſis tantum Mathiæ ad Urbem ſtationario animus concidit. Cazis Tatarorum Dux ex adverſo Divi Viti Danubium tranſnatavit: hunc Palfius fortiter excepit, cum Mathias dilapſis copiis recentes ſubſtituens, Hardecco admonito eruptionem tentet, tanta virtute impreſſionem fecit, ut Sinanes, exercitu ad LX. millium redacto ſui ambiguus hæreret: nec dubium erat, quin debellari potuiſſet, niſi Palfius vulnus inter confertiſſimos accepiſſet, & ſocii navales defuiſſent. Mathias cum nequicquam retentatus miles dilaberetur, provocatâ fortunâ ſtationem deſeruit ad Ovari in caſtra duxit: quem tur-

 bulenter

bnlenter recedentem Danubio ponte ſtrato Sinanes cecidit, propugnaculum, Divi Martini ſpectans ſubvertit Hardeccus & Perlinius nolentes auxilia Mathiæ biduum præſtolari Jaurinum tradiderunt: ambo ob id comprehenſi, ambo poſtea Viennæ damnati, publicâ ſecuri percuſſi ſunt: (a) in Urbe permunitâ CL machinæ repertæ, ad VI. millia præſidiariorum deſiderata, tria millia dimiſſa. Inde Papam Sinanes expugnavit: Comaromum in objectâ inſulâ Cſallokoez Johannis Praunii, & Starcitii fortitudine, ingenti obſidentium ſtrage, & metu adventantis Mathiæ obſidione exemtum.

(a) A. 1595.

CAPUT XI.

Cæſar bellum contra Turcos movet: Chriſtianorum ſuppetias implorat: Sigiſmundus Bathori totam Daciam abjungit; ſuos aliud agitantes occidit: Mansfeldius, & Mathias cæſis Turcis Strigonium recipiunt: Sinanes è Tranſalpinâ fugatur.

SInanes receſſit, Cæſarem redactum eſſe ad neceſſitatem pacis petendæ jactavit; Cæſar aliud agitavit. Polonum Staniſlaus Paulovius, & Venceſlaus Berca Cæſarei legati

oppugna-

oppugnarunt, (a) arma contra Christiani nominis hostem sumeret; Hos Samoiscius in cujus potestate repulit, contempsit; fidem inimico Christi datam, ut servet Christum expetere, juris gentium violatorem Dei, & hominum pœnas manere. Facilior fuit Sigismundus Bathori: Geczi denatus erat pupillo tum 17. annorum, provinciam sub tutelâ Turcicâ florentissimam, & grande æs in ærario reliquerat. Princeps juvenilem animum regere impotens certamina, ac pugnas ardebat; fide retinebatur, Patres religiosi inducunt mitteret Romam ex Pontifice quæsituros, an salvâ conscientiâ Turco tributum negari posset: Urbanus VII, & Jesuitæ ut hoc sodalitium semper aliquid novi parturiret sublato commercio generis humani eum à fide absolvebant. Ita ad tempus à Jurejurando securus visus pernicioso bello se miscet minas, injurias, ac superbiam Sinanis objicit, pacta fide minus putata Comitia SzaszSebessum indixit, causam proposuit: refragantur cuncti Uladislaum Regem per Eugenium absolutum, coram Deo non latuisse voluntatem: *si gloriæ causâ imperium expetendum est scelus absit in quo non potest esse gloria; sin opes expetantur validior est hostis, nec poterunt esse utiles cum infamiâ.* Hic rejectus voluntatem Thordensibus comitiis renovat, religionem

N 4 Pontificis

(a) *A.* 1594. *Mense Nov.*

Pontificis ſe tenere, per quam liberum factum quomodo obſtringatur ignorari & cum jam vel auctores defectionis id quod minus erat ſequi videret Proceribus præſentiam ſui denegat, preciosam ſupellectilem convaſat, Patruo Balthaſari adminiſtratione permiſſa Regno excedit, Kuevârum cum Joſica Cancellario commigrat. Cætera Tranſylvania multiplex viſa, Sigiſmundus niſi Turco excuſſo Regno renunciat, irent modo, & viderent ſe verum Principem an factioſos ſequendum ſit. Populus bruto aliquo inſtinctu aliis neque hiſcere auſis ad arbitrium Principis ſe componit fremit, furit Gabrielem Kendi, Balthaſarem Bogathi, Johannem Albertum Svevegi amandat Principem reducturos. Princeps adauctus à ſuaſione Stephani Bocskayi Varadini, & Caſparis Corniſii Maramoruſſii Præfectorum Claudiopolim reverſus iram contra refractarios coquit, & ſanguinis fundendi cupidus largiter eum dedit. Stephanus Lazar, & Michael Kalmandi prætorianis Præfecti, Alexandrum Senatus Principem tutorum nuper unum, & Gabrielem Kendios, Johannem Iſju, Gregorium Bornamiſza Agrienſi obſidione clari filium, Johannem Forro ornamenta & apices regni comprehendunt: fervidus juvenis nequicquam rogatus iram differat impetrabit tempus, quod ratio impetrare non poteſt, indictâ causâ omnes in

foro

foro curavit obtruncari. Tanta adversę partis constantia ibi visa est, ut Kendii cum educti per portam conviciis Principis proscinderentur, nulli vel homini, fortunæ, aut perturbationi succumbentes regesto simili convitio responderent hilariter se mortem gustaturos & fœliciores extitisse quod principium stragis in mortem afflixit; superstitum cum ultimum exitium veniet oculi augebunt dolorem, Nec finis sanguini properanti omnis mora longa est visa: qui forte æquior fieri potuisset. Balthasar Bathori Principis Patruus, Lupus Kovasoczi quondam tutor Szamos Uyvarii, Franciscus Kendi, & Johannes Bornemisza clarissimi viri Gyalumi strangulati sunt, inæstimabile cæsorum patrimonium ipse sumsit, nempè bona tortorum tortorem respiciunt. Lonyai, Salanczi, Szylvasi, Gerendi ejusdem facinoris rei veniam acceperunt. Sigismundus prosperum ac fœlix scelus virtutem publicè concionatus est; horruerunt cuncti, denotandis tot hominum palloribus oculi illi suffecerunt: cum sontibus paruerunt boni, & omne jus in armis fuit, timor leges oppressit. *Quare sapienti nihil præstantius inter adversa, judicatum, quam cum tuis suadere non possis, à vi temperare, contentum mediocri vita genere turbis non interesse; neque defatigari iis curis, quales fere suscipiuntur nimia quadam cupiditate, & ambitione augescendi*

Studio quidem rei familiaris, aut odio hominum suum se negotium facere dicens, ne facere videatur injuriam; altero injuriæ genere vacans: in alterum incidit; vitæ societatem nihil in eam conferendo deserens: sed cum privatis & domesticis publica redimi, suaderi nunquam, aut malum civile pace componi non posse videas; gravioremque esse majorem meliore; vi regere patriam, aut parentes importunum est: omnibus rerum mutationibus cædem, fugam, aliaque hostilia portendentibus. Stephanus Bocskai ad Cæsarem legatus solemne fœdus contra Turcos icit. Dacia omnis (cujus Vayvodæ Aaron Moldavus, & Michael Banus, (id nomen Transalpino à Præfectura Cralioviana quam aliquando gessit eandem defectionem moliti) ad partes tracta. Conclusum Pragæ Sigismundus universam Daciam Celsissimi Principis titulo, superiore, aut tributo prorsus solutus teneat, quæ à Turcis in Hungariâ ceperit, nullum in ea jus Cæsari, exeunte familiâ Principis Transylvania Hungariam recognoscet: Maria Christina Caroli Archiducis filia Principi despondetur si à Turcis pellatur securum locum in Bohemiâ aut Slesiâ accepturo. Dum hæc enixissimis votis transiguntur, Murathes Turcus extinguitur, filius Mahomethus 3 imperium capit, qui cum paternis exuviis octodecim fratres sepelivit, Turcico more strangulatos. Scelerata regni auspicia Christianorum successus nota-

notarunt: Cæsar totâ Germaniâ, & Italiâ subsidia imploravit: Miserunt Pontifex M. equites, XII M. pedites ductu Sigismundi Francisci Aldobrandini, Florentia D. equites, M M M. pedites, Ferraria M D. Mantua M. Tyrolis M M M M. Bavaria M M M. pedites; Bohemia M M. equites, DC. hippo schlopetarios, & M M M M M M. pedites, Slesia M D. equites, M M. pedites, Austria M M. equites M M M M M M. pedites, Franconia M. equites, Svevia M M M M. pedites; ipsa nobilitas Svevica, Franconia, & Rhenensis per se M M M M. pedites, auxit Hungaricus exercitus Palfio commissus. Rudolphus universis copiis Mathiam fratrem summum Ducem esse voluit Carolum Mansfeldium Imperatorem jam Principis nomine auctum; is Hispanicas partes Patris Petri Ernesti Belgii Gubernatoris jussu strenue in Galliâ egerat? Carolus nec ipse imparatus ab idoneo milite, M. cataphractos equites, M hipposchlopetarios, MMMMMM. pedites ex vallonibus quos Adolphus Svarczemburgicus, Dansius Assecurtus & Otterenprueccus ductabant adduxit. Insignis visus est o bi terrendo exercitus: Mansfeldius disciplinam militarem strenue renovavit, insigniter modo versus Albam, modo aliâ atque alia cursum mentitus Strigonium obsedit, castella castris tuendis in monte Divi Thomæ & vinetis stadii intervallo ere-

xit. Petardo portam aquariam convulsurus pluviis impeditur, suorum paucitate, & hostium eruptione auxilia, & commeatum Turcis inferri patitur bis mœnia tumultuaria Hungarorum, & Belgarum manu aggressus, bis repellitur: Irritati Mansfeldiani, incredibili ausu soli restiterunt, murum occuparunt, hostem in interiorem Urbem rejecerunt. Parcanum ex adverso Strigonii horæ momento Palfius expugnavit, diruit, Hasani Beglerbego, Budensi, ac Caramano XXX M. ductatoribus III M. exercitu obviavit. Aggreditur primipilares, fugat obruit, ad insidias pellectus agit tamen, pugnat, tantâ virtute ut recenti terrore stratagema pelleretur. Adsunt alii atque alii Turci; redintegratur pugna, jamque fugiturus Palfi Vallonum præsentissimo subsidio ad castra hostem pellit. Turcis ex metu crevit audacia, universa castra promota. Mansfeldius Carolinam munitionem obsidione eripit; cum universo hoste, universo exercitu concurrit; atrox fit pugna, si unquam extitit: Christianorum promptitudine, & volitantibus ex castellis erectis pilis, XIV M. Turcorum interfecta, castra capta, Mansfeldius optimi Imperatoris, & strenui militis adeptus nomen dum poma, ac melopepones avidius sumit, febri communi Germanis bellum Hungaricum sequutis morbo expiravit, Mathias Princeps recepto

in

in castra Mantuano obsidium continuavit, aquariam Urbem occupavit. Beglerbegus & Budensis rati ereptum Strigonium non esse ex dignitate gentis copias renovant; Nadasdium congressum ad incitas redigunt, redactum lentiore Carolo Burggravio cum suis Belgis & Vallonibus præsenti periculo Oberenpruccus eripuit. Ita his rejectis Mehemethes suppetiarum defectu, & aquæ inopià Strigonium anno quinquagesimo secundo quam à Sulymanne captum erat dedidit; (a) Vissegradum, Vacia, & cuncta ad Pesthum usque Christiani exercitus victoriam clamarunt. Mathias Strigonium Palfio, partem exercitus Maximiliano in superiori Hungariâ res cum Tieffenbacho curaturo commisit, Viennam ipse secessit, non cessantibus interim Præfectis Illyrici. Zrinyi ac Herbestaynius Baboczam submiserunt Erdœdius, Exenpergus, ac Lencovitius Petriniam Turcis restauratam, Rastovicam, ac Goram occupatas receperunt. Major fuit Sigismundi Bathorii impetus, major & potentiâ: Albæ Juliæ novæ nuptæ thalamo exornato pari animo cum Aarone Moldavo & Michaele Transalpino jugum Turcicum excussit, Mahometis legatus vellet in protectionem redire, contumeliose habitus, Georgius Barbelius copiis in hostem præfectus. Barbelius Bochciam, Varsoczium; adunata nobilitas

(a) A. C. 1595.

nobilitas inter Chryſum & Mayſum. Totvardam, Fadſatum, Eperjeſſum inferius, Solymoſum, Lippam, Vilagoſvarum, Aradum, Pankotam, Sirinium fugâ Turcorum ad Tranſylvanum traduxerunt. Michael Vayvoda, & Albertus Kyraly (hunc bello Moſchovitico clarum factum Tranſylvanus, Tranſalpino miſerat) Sinanis conſilia præoccupaturi caſtra moverunt: Floccium inter Oroſzeſicum, & Nicopolim dirutum; Arſena inflammata, Seliſtria direpta. Occurrit ſane Achomathes Eunuchus cognomento Aphis valido XXM. exercitu, & ſummâ ope invectus eſt: ſed Michaelis, & Kyralyii fortitudine totaliter cæſus, oppreſſus, & caſtris exutus eſt; nec dubium erat quin Thracia Germaniæ conjuncta crederetur, aut Rhenus Ponto ſi tanta ex imperio, quam ex bello voluptas capi potuiſſet, aut provinciam retinere perinde eſſet, ac facere. Michael Bucoreſtum reverſus eſt; Kiraly ripis gelu junctis Danubium trajecit. Viſtovam, Orchovam, Cernavodam, Roſgradum, Obluciciam, & alia Bulgariæ oppida ſuccendit, & cætera fecit captis oppidis fieri conſueta. Non tulit adverſitates Sinanus Byzantio digreſſus eſt. Michaelem Tranſalpinâ, Bathorium Tranſylvaniâ ejecturus: Bucoreſtum cepit; Tergoviſtiam munivit. Michael, & Kiraly impares cunctatione uſi, ad alpes inpervias Nigrevodæ ſeceſſerunt;

cos-

eos persequutus Sinanes duodecim millibus invasionem imperat. Michael & Kyraly facturi potius aliquid quam passuri invasorem invaserunt, plus X. millia hostium trucidarunt. Metus hinc Turcicis castris, Sinanes fugam meditabatur, nisi ante actorum memoria retentasset; ponte quoque fugæ tumultu dejectus & excussis duobus dentibus ægre servatus in desperationem vertebatur: desperanti ex pudore, & furore crevit virtus; in ultionem pronus bellum redintegrat; Michael strictus & ad cautium interiora propulsus, præsentissimam sensit Dei opem. Sigismundus Bathori cæde Cazi Tatari quam Moschus fecit animosior XX M. equitum, XXX M. peditum castris ad Turcsvaram recensuit: Duces belli Benedictus Mindszenti, Balthasar Bogathi, & Lupus Cornisius, Ungari, Cosaci, Valachi & Siculi promissâ libertate strenui in castris visi; aquilâ fœlix auspicium Principi portendente alpes transcensæ, Michael liberatus, Tergovistia ne quid à tergo relinqueret insigni Siculorum fortitudine recuperata Capræ famâ Sinanes ruinam Sigismundo fortius minatus quam fecisse visus cum nihil minus posset, quam posse Bucorestum effugit; urbem in flammas misit; putans inopiâ hostem debellari debere, quasi ad devincenda regna invictus, devictis acquisitisque celeriter cariturus terram quaquaversum

ſum excuſſit, Gyoergyum ſe proripuit, Danubium transvolavit. Sigiſmundus fugientem inſequutus octo mille Turcos captivorum in citeriore ripâ cuſtodes puncto temporis confecit, ſuos à ſervitute vindicavit: Gyoergyum hauſto paſſim hoſte in poteſtatem redegit. Sinanes ægrum ſpiritum trahens, ſenio & mœrore, nec veneni fama abfuit, infœlicem animam, quæ multis exitio fuerat exhalavit; ab adverſo caſu Baſſarum quoque injuriis petitus, quod maximam fortunam quâ nihil magis lubricum, maximâ ſuperbiâ fœdaſſet? *In rebus humanis ita comparatum eſt, ut nullus ſit quem non aliquis æmulus exerceat: cum multiplicantur bona, multiplicantur devoratores; aucta item gloria inſolentiæ propriæ, invidiæ & inſidiis alienis obnoxia.* Sigiſmundus Bocskajum caſtris reducendis præpoſuit. Stephanopolim cum paucis regreſſus Moldaviam Aaroni perfidiæ ſuſpecto ademptam Stephano Reſvano contulit, (a) Sed eum Podoliorum aliquot cæde irritatus Johannes Samoiſcius ſecundis aliquot præliis fregit, fractum, adacto per inguina ſtipitem in altum ſuſtulit, & occiſo Regni Polonici beneficium Moldaviam, aſſerturus Hieremiam Mogilbam tributo Turcis obſtrictum ſubſtituit.

(a) *A.* 1595. *Menſe Octobr.*

CA

CAPUT XII.

Bathorio dum à Cæsare excipitur Siculi rebelles pacantur: Clissia erepta, Turcis recipitur: Achomathis Eunuchi in Sclavoniâ cædes: pugna ad Kereszteſum: Bathori Principatum in Maximilianum confert: Maximiliani, & Satergis acta.

MAximilianus Szolnocum frigido autumno ne quicquam tentaverat, in ampliſſimâ planicie arboribus fovendo igni deſtitutus. Hyems intra parietes tranſacta: (a) fine Februarii Sigiſmundus præſentium odio, & futurorum cura inquietus undecim ciſiis ad Cæſarem vectus eſt: Cæſar ſplendide excepto cubiculum in Regia dedit, in adjutorium belli conſenſit. Pragæ dum verba cum Imperatore miſcet, novâ iſtâ fortuna novos ſpiritus ſumenti, improviſa advolat febris; totum corpus, ſed maximè animum & affectus angit, ſermonem abrumpit; in hoſpitii cubiculum reductum: erumpentibus per ora puſtulis vari pueritiæ infeſti diu multumque divexarunt Cubili infixo, Siculi rebellarunt, importuno Hungarorum, & saxonum clamore libertate frau-

(a) A. 1596.

fraudati: Hos Bocskajius priusquam Princeps adesset, bello adortus vicit, discussit; captos enormibus suppliciis absumsit, unde cæterorum immunitates & ipsæ imminutæ. Dalmatia quoque suis turbis non caruit: Ibrahimus Præfectus Clissiæ nundinis ad Drilonem intendebat, cum Berthucius Eques Rhodius gnaro Lencovitio tractis in societatem quingentis Segnianis rectâ fertur ad murum Clissiæ; foramen hosti vel non animadversum, vel in præcipiti saxo minus curatum ultro iter pandit. Turci semisopiti cæduntur, arci celerius ne an fortius occupatæ Nicolaus Tergestinus cum trecentis imponitur. Imbrahimus attonito similis stupet subitum exemplum iram coquit, fremit sibi inopinato propria extorta, nec ad vilitatem sui compellitur: Apardim Bossenensem in sententiam traxit, Clissiam obsedit. Lencovitius Caroloſtadio, Segniâ, Otociano, Breviâ ac Vinodolio deduxit præsidiarios, frequenti concursu adultos ad V M. facto impetu in Apardim, & Ibrahimum ad Clissiam subigendã obstinatos tantâ vi tantâ fœlicitate certavit, ut numero longe validiores, universi dissipati, prostrati suorum plerosque amitterent; alios tutior fuga conservavit. Sed prout adversa magnos, secunda fœlices & cautos probant, minus fuit vincere, quam victoriâ posse uti: Ibrahim fugitivus, adeoque pugnaturus per mon-

montes, & sylvas dispersos colligens victori, victoriam eripuit, prædæ potius quam reliqui certaminis memori. Lencovitius fugâ Clissiam dilapsus est; aquæ inopiâ pressus, metu futuræ obsidionis ducentis se profugit, cæteros cædi, captivitati, & prædæ dedit; jamque Clissia siti subigenda Paradysii tum incaptivati suasu Ibrahimum recepit. Cæsare Pragæ, Viennæ, Posonii, Bathorio Claudiopoli comitiis intentis longe lateque sparsa est Mehemethis Sultani procella, in quascunque Occidentis partes à tempestate deferenda, magno crueris imbre omnia fœdatura: sed levior quam putabat visa. Herbestaynius, & Drascovitius (hic nuper equitum Præfectus Crisii; Erdeodium eâ famâ qua non tam accessio quærenda, quam fortuna metuenda erat, Illyrico se abdicantem exceperat) Constaniciam circumvallarunt: urgent Thraces fortunam, septuaginta arces inter Vardanum, & Colapim, earumque latifundia stipulati, tanto leviores crediti, quanto privato bono acrius instare visi. Horum metu Apardis Bossenensis arci præsidium imponit, cum quibusdam fugitivus ex Rasciis, & Turcis Dubiciæ, ac Cozarii montis accolis militem scribit, occurrit; pulsus, percussus oppidum diripi permittit. Auxiliantur Achomathes Eunuchus cognomento Aphis, & Odaverdis cum XX. millibus, sed fama in C. millia credidit,

dit, Petriniam circumcinxerunt. Obviarunt Lencovitius, Drascovitius, Erdeodius, & Herbestaynius quibus cum Colapim vado transmittendi, aut pontem conficiendi potestas negaretur versus ortum fluminis recessum: hostis id fugam ratus è vestigio transnatans, vel transvadans; partim schlopetorum ictu petitur, fugatur, partim hauritur. Inde ad Sisciam Colapim nostri transmittunt; fusi speculatores Eunuchi equites, terrore latius dato famam, numerum & pavorem auxerunt. Turci castris promotis Sisciam obsidentes, inter obsessos & auxilia obsessi ipsi; eruptione & irruptione factâ fortiter pugnarunt: ad extremum pilis ex arce, gladiis à latere occupati arbitrio victoris mortui, capti, Aphis, & Odaverdis effugerunt. Mutuo infortunio in Hungaria laboratum: Sulymannem Temesvariensem & Ennehanum Belgradensem obsessorum pertinacia, & Barbelii fama à Lippa abjecit, Sigismundus Nagylaccum submisit, Temesvarum quidem diu frustra voluit; cæterum Tatarorum Chanem nihil habentem nisi quod rapiendo occupasset, adeoque urbes agros aras, focos sæva immanitate perdentem, in planicie, quæ inter Temesvarum, & Belgradum amplissima visitur, forti animo cecidit, ad tria usque milliaria insectatus est Maximilianus Vacziam desertam conspexit, XX. peditum, XV. equitum

milli-

millibus Svarczemburgus opitulatus, (a) Hatvanum circumcinctum. Præerat arci Arslanes Saralibegi filius, adolescens supra ætatem: nam & eruptionem non infœlicius quam fortius tentavit, & Rudolphum Greyczium tormentis hostilibus præpositum tanto terrore concussit, ut fractus, cæsus, vix sui compos cederet, catapultas desereret: addebat animum mater Fatima virilis ingenii fœmina, si restiterit præmia, si occubuerit, pro libertate, & patriâ oppetitam mortem manere. Sed fatali imprudentiâ dum corpora suorum vulnere, & inquietudine lassorum reficit, muros destituit: destituta mœnia hostis invadit Christiano nec quicquam Turcis mitiore fit promiscua omnium cædes: Arslanes dum summis viribus nostris incumbit, non inultus extremum effudit spiritum, Excidium Hatvaniensium luerunt Agrienses: Mehemethes Imperator ducentis bellatorum millibus, quantæ à Sulymanne non erant visæ, Belgradum pervenit; Gyafferem Eunuchum Agriam præmisit; Christianis longâ belli assuetudine imperterritis. Agria primum insultum constanter repulit; cumque Vilhelmus Tersco. Nyari & Kinskius Præfecti fortunam urgerent, Germani, & Vallones vitæ trepidi urbem tradiderunt, fidem acceperunt, nec vitam salvarunt, passim spoliati ensi

(a) A. 1596.

ensi subjecti, vitam propter vitam perdiderunt: Nyari castris, Barcianus, & Kinskius Belgradensi turri *Naborzana dictâ* diu latentes, noctu fugitivi postmodum dilapsi sunt. Serius Maximilianus Rimaszombathum pervenit, castra metato, Sigismundus Bathori castra ad Rimaszecsum junxit; trahebat, *XXXII*. equitum *XXVIII*. peditum millia, C*XX*. tormenta, *XX* M. quadrigarum. (*a*) Fit pugnæ potestas ad Kereszte-sum: hostes primipilarium Svarczemburgi: *Palffi*, & Kiralyii virtute octo millia perdunt, tormenta quadraginta tria relinquunt ad castra pelluntur. Mehemethes castra sua nostris opposuit: Maximilianus viso suorum ardore contra quam dictum erat laborantibus suis accurrit, paludem transit. Inde sollicitudo totis Turci castris, luctus, trepidatio, Mehemethes inaudito exemplo Szolnocum effugit; fit passim cædes, jamque certum erat posse Turcum vinci, cum Christiani fugatis instantes solutius castra rapientes, in fugam vertuntur ipsi: fertur non nisi quingentos primum fuisse Turcos ad rapinis intentos intendentes: quorum metu aucto hostium animo Cicala Purpuratus extemplo *XL*. millia bellatorum confecit, furiose agit, tanquam pecora inordinatos mactat: pugnæ metu 10, juxta alios 20. millia, ductores plurimi, impedimenta pe-
ne

(*a*) 26. *Octobr.*

ne omnia amissa; ita victoria avaritiâ fœdata. Nec incruenter hostis vic.*, qui 20. millia vel ut multi scriptum reliquerunt, L. millia suorum perdidit. Mehemeth hyemis adventu triumphabundus Constantinopolim rediit, Maximilianus tristis hinc inde sparsos recolligens Viennam; Hasanem Szygethanum eo casu fervidum Zrinyi à Babocza rejecit, Strigonium, & Vaciam trepida Palfius confirmavit. Transylvanus promissum aurei velleris torquem accepturus Pragam venit: infausto belli exitu, & flagitii conscientia trepidus visus, difficilior ad facta abluenda, quam per iracundiam committenda. (a) Provinciam metu rei gestæ, Turci, & suorum, Maximiliano detulit, nomen & fortunas Principis aditturo: deterret Cæsar, voluntatem civium magis populari adnexam, seditionem & turbas odium præsentium concire. His rejectis Conjugi repudium dedit, quinquaginta aureum millia, Opolitanum *Principatum*, sacris initiandus Galerum Cardinalis insigne per Cæsarem exorandum instabilem statum detestatus, instabilior ipse stipulatus est. Firmius Maximilianus stetit, amissa pensaturus *Palfio*, Nadasdio, & *Prenstenscio* præsentiam jussit: Tata admoto Petardo expugnata, Papa obsessa, Semenderus Præfectus rogat num Maximilianus pugnare cum Me-
hemethe

(a) A. 1597.

hemethe ausus arcem tentet; cujus rumore regerit; veniret modo, & sibi gladium à Sultano donatum efferre permitteret, tantæ virtutis & audaciæ viro portas apertum iri: dedititios Vallones conciderunt, alios Præfectorum opera conservavit! Circumvallavit Jaurinum quoque, tantâ Alys Præfecti fiducia, ut portas aperiret, jumenta in propinqua pascua pelleret, ipse flore Liberi se percuteret. Adsunt ibi hærenti Tatari, quos fortiter cecidit; cæterum superventu Mehemethis cognomento Satergis soluta obsidio. Purpuratus LXXX. Millium exercitum adduxit, Vacziam submisit, Tatam trium septimanarum obsidio expugnavit. Maximilianus impar hosti Csallokeorum concessit, castra oppugnaturum hostem, erectis castellis castris tuendis rejecit: Mehemet cum irruptio in castrum situm è regione Nesmel Colloniczii fortitudine, Palfii ac Nadasdii auxiliis decollasset, Vacziam atque Constantinopolim recessit: Nec Bathori nihil egit: 14. millibus suorum Temesvarum circumvallavit, unde Turcorum, ac Tatarorum multitudine repercussus Chanadum ex itinere submisit.

CA-

CAPUT XIII.

Jaurinum recuperatum: Sigismundus rescisso contractu Cæsaris, Transylvaniam recipit, Bathoreo Cardinali tradit: Cardinalis clades, & Ibrahimi Purpurati excursio.

Comitiis apud Posonium Stephanus Szuhai, Bartholomæus Pecsi, (a) & Nadasdio morbido Nicolaus Istuamsi deliguntur provinciam à Sigismundo accepturi: gravissime insimulatus Josica Cancellarius, modo cum Turcis, modo Regnicolis quasi factionum contra legatos auctor extitisset, custodiæ traditur, provincia innovatur. Princeps diu à proposito deterritus privatâ vitâ Diocletiani apud Salonas, Caroli V. in cœnobio Justi victum, atque superatum se moderatius, quam constantius proposuit: ita Hungari, Siculi, & Saxones in verba Imperatoris jurant: cum Turcus nihil per legatos ageret, trecentorum millium exercitum minatus est. Sigismundus non diu Kisfaludii (quod Kovasoczio è percusso occupaverat) privatus, Hungariam emensus est, à Svarczemburgo & Palfio exceptus Slesiam intravit. Eximia tum in Pannoniâ quoque

(a) A.C. 1598.

Cæſaris fortuna: ad liberandum Jaurinum omni latus cogitatione Svarczemburgum, & Palfium admonuit, quod ſi Petarda admota capi poſſet, tectis conſiliis darent operam: Svaerczemburgus MMCL. promptiſſimorum, Palfius MMM. abdicatis tubis, ac tympanis ductabant: nec ulla re magis partâ victoria, quam hoſtis confidenciâ, qui adeo ſecurus viſus eſt, ut arrogaret cum Gallus Galinaceus in turris faſtigio vocem edet, noſtros Jaurino potituros, Svaerczemburgus, & Palfius ſylvas Memphonis tranſmiſerunt. Felnemethium tum carcere Jaurinenſi emiſſum ducem adſciverunt; noctis ſilentio ad urbem venerunt. Exteriorem portam, & Albanam firmiter fatali hoſtium incuriâ non clauſas Babacurtus minoris Petardæ curator aperuit: aſſentiuntur cuncti præſentem eſſe nutum Dei, nec ſine vocatione operi intendi. Interiori portæ Petarda admovetur, vectibus ac repagulis diſruptis Babacurtus & Oberenpruccus irrumpunt, forum occupant. Svaereczemburgus ad Portam ſubſtitit, opem ſociorum minus ſcrupuloſam facturus, & futurorum curioſus: hoſtes ſeminudi arma capiunt, quaſi frigidâ ſuperfuſi, de novo exemplo ſtupent, furiunt, tantâ rabie in mortis vindictam pugnantium, ut tres Jeniceri quingentos noſtrorum in fugam compellerent, Deſperato Svaerczemburgo Palfius ſuccurrit,

succurrit, abdicare equos equite recusante p ...us equo desilit, accurrit, cæteros suo exemplo hortatur. Redintegratâ atroci pugnâ Alys Bassa cæsus, & clarus jam dies integram monstravit victoriam: ingens hic divisa est præda, CLXXXVIII. tormenta Cæsari missa; Babacurtus nuncius MMMM aureis, M. annuis, Svaerczemburgus CM. aureum nummum Husztopecsio oppido & Præfecturâ Jaurini donati: Palfius quod patriæ vicisset poculum mille nummum pondo ab Austriâ accepisse satis habuit. In Transylvaniâ inferior fortuna: Michael Transalpinus militaris vir ultro præsentem rerum statum acceptavit, Cæsari & Maximiliano se obstrinxit. Hæc ejus benevolentia nec legatis neglecta, transmissis ad Rucariam alpibus Tergovistiam ventum, Vayvodæ X. millia aureum numerata, fœdus confirmatum. Capita ejus promulgantur: Michaeli succedant in Regno filii, sine tributo superiores recognoscant Cæsares, familiâ exeunte Valachum Vayvodam ex Provincia provincialibus jus sit optare: Michael digno honorario Cæsarem dignabitur, amicos, atque inimicos partis, amicos atque inimicos pars putabit. Ita interna concordiâ ad externum bellum præparari regnum visum: Georgius Kyraly Sulymannem Temesvariensem à Chanado reiecit, Andreas Barcianus Karansebessi & Lugassi Præfectus si-

mulatâ transfugarum civilitate ſtrage affecit, rumor de Satergi percrebuit. Sed adventus minus timebatur Tatari per legatos polliciti, ſe in campis Dobrigſanis ultro à Turcis diſceſſuros, reliquam Turcorum multitudinem facilius vinci, ſuperari, & cætera fieri; quæ partâ victoriâ conſuetum eſt. Hæc agitantes novus rumor concuſſit, novi tumultus novam Provinciam inundarunt: Sigiſmundus ſolitâ Viro inconſtantiâ patrato quippe ſcelere nullibi quietus, ubique fragilis, ubiq; varias in partes diſtortus diſſimulato habitu in Tranſylvaniam venit, in penſione auri deluſum, non ſatisfactum cauſatus Claudiopoli ſe monſtravit. Prætor Urbis aſſuetudine imperii Bathorium excipit, Bocskai Prætorianorum Præfectus, collegam Lupum Corniſium, & Moyſem Szekhely Siculis Præfectum verbis, vi terrore factioni applicat, nuperum Principem novum Principem conſtituit. Legati cum Sigiſmundum Rakoczi copiis Cæſarianis Præfectum, & Maximilianum cui provincia debebatur fruſtra præſtolati eſſent Bocskajo petendo mandanti aſſenſi ſunt, Principem adierunt, id tempori, & armato hoſti inermes ipſi præſtiterunt. Tranſylvaniâ Hungari cupida tantâ vulgi ferociâ Sigiſmundum recepit, ut Corniſio ſtatus præſentis datæ fidei, & Cæſaris non obliviſcendum monenti lanienam intentarent. Princeps

ceps legatos adesse jussit, nec sui, nec Regni, nec militum potentes parent, factum ut moris est excusatur Opoliam pollicitis non respondisse, fidem Cæsari retentum iri. Legatis Cassoviam migrandi facultas datâ cum ita turbatæ provinciæ Mehemethes Satergis LX. bellatorum millibus supervenit: deprecatione Sigismundi nihil motus Varadinum cui nos ortum debemus obsedit. Arcis Præfecti Georgius Kyraly, & Stephanus Korlatauit cōsilio Ambrosii Derecskei præconis verbi, in Rudolphi fide permanserunt; à quo Nyarium. & Melchiorem Rederum acceperunt: Varadinum triginta diebus obsessum, cum omnia summa tolerasset, pluviis & cœli tempestatibus vexatum hostem rejecit; tantundem & nostris ad Budam proficuis. Mathias Gesztešo, Vitanyo, Beszprimo, Palotâ, Ticino Vasono, Rigovaro devictis Budam eodem die, quo Varadinum obsessum & desertum; eadem cœli intemperie obsedit, & deseruit, Sigismundus à Trāsylvania receptus repudiatam Uxorem recepit, cum Cæsare gratiam pacis reconciliare statuit: mira tum quoque Cæsaris clementia, pacatum regnum possessuro, Subsidiarium Georgium Bastam Maximilianus amandavit: Sed Bathori facilius mutavit regnum, quam mutatum tenuit: dum enim fœderi feriendo intenditur, male feriatus juvenis, patruo Andreæ Bathorio Cardinali, & Episco-

po Varmienfi Samoifcii jus in regnum captantis aftu Principatum contulit, (a) conjugi fecundum repudium datum, contractus Cæfaris confractus, fecessione in Poloniam factâ fœdis turbis Principatus irvolutus. Cardinalis parvo tempore totius Tranfylvaniæ potitus eft, unde interipfum, & Maximilianum hoftiliter agi cœptum: Georgius Bafta, Cardinali totâ Tranfylvania vaftando Caffovia exercitum movit, Michaelem Vayvodam extimulavit fidem Cæfari fidam præftaret Michael quo tectiora caperet confilia amicitiam fimulat, Cardinalem decipit in ipfa Cardinalis provincia nitrum glandes, aliaque fovendo contra Cardinalem bello mercatur. Coronam aggreffus, primo adventu cepit, Siculos in partes traxit, improvifum Andream obftinato certamine cecidit Cardinalis profugus, cum fibi in Poloniam falvando per Oytozias alpes oberraret à Siculis difcerptus eft. Tranfylvania Michaelem & Georgium Baftam Maximiliani legatos, vel ultro agnovit, vel abnuens vi compulfa. Mehemethes Sultanus per Matrem & & primariam conjugem ne per fe bellum gereret ábfterritus Ibrahimo Purpuratorum Principi, expeditionem mandat: Svarczemburgus, Palfi, & Nadafdi tanto minus formidolofam facturi Ta'am fubmittunt ad Albam occupandam vires intendunt; portis

(a) A. 1599

tis urbis Petarda tecte admota, cujus cardinibus convulsis irrumpi posset. Sed non tectiora fuerunt consilia quin detegerentur: Albani in irrumpentes erumpunt: nimiam Gallorum confidentiam in nimiam trepidationem vertunt. Petardarum alteram in potestatem redigunt. Petardam Budam translatam, cum mirabundi præsentium Barbari explodere detrectarent, Gallis fuste adactis, ad extremum tanta violentia explosa, ut diffultis fragminibus miserabiliter adstantes interirent. Ibrahimus pacem maluit, cujus Palfium admonuit: conveniunt deputati in insulam Vizze æquali inter Strigonium ac Budam intervallo: Turcus Strigonium, Fuleccum, Nogradum, Jaurinum simulata de futuris securitate expetit: nec Christiani viliores se licet gravatim pacem amplexuros perorant, recepta repeti, sua sibi neminem armis nisi extorturum. Ibrahim viso nec fœdus admitti, nec pugnam immitti, excursionem molitus, quicquid inter Vagum, Nitriam, Granum, & Ippolum flumina jacet immaniter vertit; ægri & morbidi quorum ad thermas Pesthenias insignis numerus crudelitati hostium relinquebantur, qui passim per vias abjecti gemitu, ac ululatu opem inclamabant, dynastiæ, pagi sacra, & profana evacuata, hominum ad XIII. millia non sine parvulorum parentes ac cognatos cientium ejulatu in servitu-

tem raptata. Svaerczemburgus impar, hoste abstinuit, Palfi & Nadasdi urgent, vellet miseræ plebis misereri, & palantes Turcos aggredi; sed quamvis nec ipse sine fremitu fuerit, maluit terram prædæ dare, quam validiori in periculum exponi: non tulit Palfi insolentiam; ad Palancum ductore Aegyidio Nagy mille Turcos ac Tataros quinque millium cohorte aggressus, fudit, dissipavit, reliquis terra in prædam cessit. Inde inquietus Palfius; discessu Ibrahimi summâ in hostem rabie usus urit, vastat, Lacco, Bolondvaro, Coppano, Dombone Turcos excussit, Caposvarum nequicquam tentavit.

CAPUT XIV.

Sigismundum Bathori Michael Vayvoda cædit, rursum à Samoiscio cæsus in Transylvaniam fugit; ubi Cæsari suspectus à Basta stratus, Pragæ clementiam exoravit: Csakii conatus: Papensium Gallorum, Sigismundi, & Mosis Szekhely clades: Basta Transylvaniam expilat: Canysu Turcis occupata frustra Ferdinando tentatur; Dux Mercurianus Albam occupat à morte victoris hosti receptam.

PEryentum est ad annum millesimum sexcentesi-

centesimum (a) quo Clemens octavus auream jubilæi messem veterem in morem messuit: Michael suopte ingenio mobilis, & vastæ ambitionis Valachus fortunæ nutu avidior gloriæ quàm capacior fuit; universam Daciam mente complexus, suspicax ipse non redditâ provinciâ suspectus Imperatori factus, *Et quia summâ fortitudine quæsita summa moderatione, cui adsunt abstinentia, & continentia retinetur* elatior ipse varios hostes concivit, ipsis Polonis infestus quod Moldaviam invaserit, invasionis causâ in Sigismundo Bathorio stante. Sigismundus Patrui Cardinalis cædem vindicaturus perfecit coram Samoscio regni prolatandi provido, tam proprias legiones subministraret Transylvaniam aggressuro, quam Hieremiæ Moldavo auxilia mandaret: adfuerunt conatui Moyses Szekhely, Franciscus Vas, & Gabriel Bethlen, urgent; proferunt Valacho qui subesse debebat Transylvaniam subjici; rerum ordinem inverti. Gnarus omnium, Michael Petarschonem filium, & conjugem in Transylvaniâ reliquit, ipse instructus agere, quam ferre quicquam malens ultra Alpes procedit, ad Nesterum in Sigismundum, & Hieremiam improvisos irruit, Polonos, & Cosacos cædit, XXX. millia hostium dissipat: Suchava totâque Moldaviâ potitus victoriam persequitur, hostium re-

(a) A. 1600.

ceptacula Pocuciam, Beſſarabiam, Ruſſiam ac Padoliam crudeliter habuit. Non tulit Samoiſcius inſolentiam, plurimis ad Boſorum ſponte militiam profeſſis advolat, victori victoriam extorquet; Vayvoda impar Moldaviam deſerit, à Polono in caſtra pulſus foſſarum marginibus quas hiberni torrentes effecerant dejectus, præruptis montibus ad Sereſinum flumen ſe ſe munit. Sed nullibi quies; Samoiſcius demonſtravit nihil intereſſe in planicie à quâ Polonię nomen an montibus bellum geratur, & ſummâ virtute Coſacorum Niſoviorum invectus Michaelem in Tranſalpinam, ibi quoque vaſtatum in Tranſylvaniam ejicit, diſpergit: & cum non tutum aut neceſſum crederet univerſas legiones Polono ſibi in hoſticum ducere, amandat Moyſem Szekhely ſive Siculum voce idem ſignificante tam Vayvodæ inhæſurum quam Tranſylvaniam occupaturum. Baſtæ, Ungnadio, & Michaeli Szekhely alieno manus abſtineat hortatis, reſpondit Samoiſcius Michaelem ſibi quæri turbatis provinciis Turcos irritantem, ut occupatis confinibus verſus ulteriora arma prolatent; nec immerita ratio eſt viſa, Chriſtianos diſcordes potentiâ decollante regeritur tamen per Michaelem Csaki, velit Sigiſmundus in Moldaviâ Cæſatis clementiam expectare, pacem tentare, ante actorum oblivionem petere. Sed Cſaki quaſi ſibi provincia,

vincia, non provinciæ pax deberetur, Tyrannidem affectavit; populares, & Samoiscium suos fecit, quasi cujus Principatu nec Polonus, nec Cæsar offenderetur, Turcus pacatior fieret, fingebat & metum quo magis concupisceret, cum propriâ cupiditate, proprio metu, non alienâ utilitate, alieno timore Principem se faceret. Michael provincialibus molestus provinciâ expellatur summo conatu urget; addebat animum Georgius Basta, qui tum æmulo Valacho gravis operam regnicolis pollicetur viam Meszes emetitur cum Transylvanis vires jungit. Vayvoda rogat excusationes suas audiri, quo non persuaso nullâ in parte vilior exercitum conscripsit, ad XX. millium promtissimorum; hoc universo ad Miriszlonem exutus, Tergovistiam effugit; jamque inter Bastam. & Mosem Szekhely inter malleum & incudem medius, versus alpes Severinenses effugit criminationes purgaturus & novâ gratia regnum recepturus Pragam se contulit Csaki quasi jam victor Sigismundo, & Bocskajo exulibus, Maximiliano absente Cæsarem juvenili audaciâ rogat. Regnicolis Principem eligendum ex se permittat Siculos libertate privet. Transalpini donationes invalidet; summo conatu in hæc intendebat; provincialium animis in ipsum eligendum non tam ob virtutem quam adulationem propensis: sed inaniter si unquam

temeritas bene potuit cedere: *dignitas enim quamvis bene merito non illico expetenda. expectandum tempus, in quo liqueat, non tam te accepisse beneficium, quam dedisse.* Ut monstrosi procerum ita maligni militum morbi fuerunt: Galli Papæ præsidiarii ob dilatum stipendium Præfectum Michaelem Marothi carceri manciparunt, resistentes mactarunt Turcis salar modo numerarent arcem prodiderunt: Turci vel Gallorum constantiæ diffisi, vel pecuniæ tenaces cum in tempore non accurrerent, Svaerczemburgus Papam obsedit: eruptione & rabie Gallorum quibus certum erat captos se crudeliter necatum iri multos amisit, ipse glande stratus obiit. Melchior Rederus ad fugam compulsos, dum arctissime obsidet, perinde infœlix præsenti morbo expiravit: ambo igitur, cum feris plagas tetenderint, Nadasdio captura cessit. Nadasdi Rederi collega & successor canina fame maceratos Urbem deserere adegit passim deprehensi, aut illico cæsi aut exquisitissimis pœnis enecti sunt, ut molarum rotis versati suffocarentur, alii lento igni tosti, multi canum famelicorum laniatu interirent. Nec fidelior Transylvania: nam dum Cæsar vel ambiguus, piger, vel aliis implicitus, legatis respondere cunctatur summâ inconstantiâ summo regni malo Sigismundum recepit, legationem abrupit, Cornisium, Pancratium, Senejum cæterosque

que Imperatorem tuitos in vinculis habuit. Hæc Michaeli cui Pragæ mora injecta erat restitutionis causa: (a) Valachus, & Basta Gonzagæ Cassoviæ Præfecti opera vel in speciem reconciliati in Transylvaniam penetrant; Sigismundum ejusque Præfectos Barbelium tum articulorum dolore pressum, & Mosem Szekhely aggressi, nec sine confusione, nec alias caute de colle descendentes ad Doroszlonem vincunt, fugant, X, mille interimunt, signa militaria CXXX. capiunt. Inde Michaeli crevit fastus, Bastæ imperium hactenus sancti, inviolati jam secundis rebus luxuriosi, & rapinis inexpleti detrectat; per vastas spes in exitium raptandus. Claudiopolim delatis consenuisse visa recruduerunt, Basta immissa efferatorum Vallonum manu tollit Banum è medio, socios dissipat tantâ impudentiâ, ut non dubitaret jure cæsum Cæsari imponere. Cæsar factum infectum facere non potuit, majores turbas vitavit, & pati, quam agere quicquam maluit. Basta occultus, & subdolus virtutibus fingendis, inter Bonum, & malum mixtus dum collegam timuit, remoto jam pudore, & metu in scelera simul ac dedecora prorupit: Claudiopolim delatus ex fortuna sua pejor pro Imperatore exactor, acerbus quæstor, hæreticismi colore quicquid æris, aut argenti fuit sub fide conquisitum

(a) A. 1601.

quisitum extorsit civibus; victoris præmia victor corrupit. hoc debilius imperium habiturus; Direpta passim Transylvania ligonibus sceptra æquavit, quos defendere debebat Bastâ incolas expugnante: inde latrocinia rapinæ toto regno repullularunt, in sceleſtos degenerarunt vel boni. *Gloria industriâ alitur ubi eam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est, ubi malos præmia manent haud quisquam gratuito bonus est.* Bistricia portas Bastæ detrectat aperire, vi compellitur, fides labefactatur, fœde exspoliatur: quicquid auri, argenti aut preciosarum vestium fuit in usum sui Imperator sumsit, quasi plebe neglecta aliquid Imperator esset. defecto corpore, caput nutaturum instabili pondere: postea urbs direpta: omnibus pecunia, supellex extorta, nobilibus matronis vel tegumenta corporum ablata. Miseranda passim facies, ut inter pecudes sic potestas valentiorum erat, pecoribus in Silesiam abactis fames tanta ut frumenti modius XXV. aureis veniret, pecuniâ ducentos modios æquare solitâ, ita lento gradu ad vindictam rupti fœderis divina processit indignatio & tarditatem gravitate compensavit. Sigismundus Brassonem se receperat Turcos exciturus; apud quos quum Moses Szekhely parum proficeret, vinci & animo debuit; inducias cum Basta pactus Cæsaris gratiam exoravit, à quo L millium

millium aureorum annuo proventu Lobkoviciam accepit; perditis propter vitam vivendi causis inter Bohemos consenuit: Inde pro Turcia intestinam erupit bellum novi vindices Transylvanis, Moses Szekhely, & Gabriel Bethlen: hos Basta inter Albam Juliam, & Varadgyam atroci pugna oppressit; Ducum uterque effugit, & quo nisi ad Belteslem Temesvariensem, Turcum nempe Christiano mitiorem. Basta ubique victor urit, vastat, neglecto sexus, ætatis aut ordinis respectu: perturbatio passim, & confusio; perculsa & prostrata, fœdissimo bello omnia tanto regnicolarum furore ut Turcam ac Tataricam servitutem præ Bastâ amplecterentur, Miserabili Transylvaniæ statu, æque miserabilis Styriæ, & Occidentalis Hungariæ status fuit, tam verum hostem quam suum Dominum perpessæ: Ibrahim Purpuratus; & supremus Jeniceserorum Præfectus XXIV. milium cohorte ad Mohacs pervenerant: Strigonio intenturi, precibus Nasuffi Szygethani cujus subditos Herbestaynius crudeliter habuerat Baboczi-am interceperunt Canysam obsederunt. Præerat Canysæ Georgius Paradysius qui nuper ad Clissiam comprehensus precio libertatem redemerat: diu summâ virtute Turcis restitit; ut quamvis excussa funiculo scintillâ pulvis nitratus, plurimis frustulatis evanuisset, adventantibus suppetiis con-

firmaretur.

firmaretur. Georgius Zrinyi de pulvere providit, Mathia Princeps, & Philippus Emanuel; Dux Mercurianus Reginæ Aloysiæ Lotharingæ frater XXV. *aliis* XIV. millibus adfuerunt. Mercurianus Mansfeldio substitutus irruentem hostium equitatum fortiter sustinuit, repulit, novissimâ que pugnâ tanto ardore invectus est, ut dubium non fuerit hostem recessurum, cum novum malum, nova commeatus inopia victoriam eripuit. Fames Mathiæ & Emanueli tanta in castris fuit, ut equi non nisi frondibus vescerentur: animant tamen Paradysium, versus Muram recedunt, an refugiunt: fugam consternatio Georgii sequitur, arx hosti traditur, Paradysius liberum discessum stipulatus publice convictus, publicâ securi Viennæ percussus est; Ibrahim victoriâ partâ pacem ursit, cui dum intendit, animam exhalavit; inde ludibrio Cæsar habitus, Judæi è reliquiis eorum quos Ferdinandus Hispanus, Hispania ejecerat quasi fœdus facturi Pragam venerunt; orant, tractant, sed viri insani carcere temeritatem luerunt. Regebat tum Styriam, Carinthiam, & Carniolam Ferdinandus Archidux Carolo Rudolphi Patruo prognatus, quem postea Augustum vidimus. Is anno sexcentesimo supra decem secula Marianam Vilhelmi Bavari filiam connubio junxit: cum nova nupta Regnum nisi hæresi perpurgatum nollet ingredi

di libertas Augustanis adempta, conciones pastoribus prohibitæ. Instigatus à Jesuitis Archidux non stetit, solemne juramentum summo Pontifici Romæ præstitit se totâ ditione crudeliter Protestantes habiturum: proscripti, expugnati, direpti passim trucidati, tantâ severitate ut nitro subvertentes templa in mortuorum ossa sævirent, terram ac sepulturam hominibus cunctis communia, & ex æquo debita, nec Turcis invidenda Christiano inviderent. Euangelici cum transactionem Passaviensem urgerent, provocarent ad Archiducis ipsius fidem, qua anno octuagesimo primo supra quindecim secula Patris cum Ordinibus pactum confirmasset, octodecim annorum spacio ad 900. Rhenensium florenorum millia accedere precium, quo religionis libertatem redemerunt, facessere jussi, lacessiti totâ ditione vastati, & lacerati sunt. Nullâ die molestiis vacante, dilapsi in Hungariam ubi jam fama de Bocskajo spargebatur, bona relicta quæsito belli sumtuum colore; fiscum auxerunt. Grçczii cum templum Protestantium dirueretur, Vilhelmi Zimmermanni magni inter eos Pastoris effossum corpus, os vellentes mortuo leoni, in præterlabentem Muram conjecerunt, non minori mentium ludibrio quam indignitate rei, clamant passim Romanenses indignum humo qui Deum violasset, cui humum ac humana debebat.

bat. Nec fœlicior exinde Ferdinandus Canyſam oppugnavit: aderat Aldobrandinus papæ legatus cum Italicis copiis, & paſſim totâ Germaniâ Hungariâ Catholici in auxilium evocati, quod conſiliis Sigiſmundi Turriani, qui haud multo poſt Igna flumine hauſtus eſt, Proteſtantes caſtris arcendos putaſſet; ne vel in portionem terræ occupandæ venirent, vel peccatis horum, quæ cœlos attingerent certamen decollaret. Præerat Canyſæ Haſanes cognomento *parvus*, cum 800. quos totidem receptis à Szygetho, atque Budâ non ſine Orphei Gallonii tormentis præfecti infamiâ multiplicavit. Gallonius cum truncis ac faſcibus, quas proximæ ſylvæ miniſtrabant ſegnius quam par erat foſſam replet colubrinæ pilâ ictus occubuit: ſuffectus Cæſar Porta nihilo ſequius oppugnationi incubuit, crebris eruptionibus, & pilarum ictibus repercuſſus Cæſar & Mathias Chriſtophorum Roſwurmium Mercuriani legatum cum ſex millibus Patrueli mittunt, deficientem exercitum recreant; ſed cum lentitudine ducum, aut imperitiâ primi conatus fruſtra fuiſſent, poſteriores ſæviſſimus Boreas corrupit quo unâ nocte mille equites obriguerunt: aſſidui imbres, & gelu, nix concreta & fames, & laſſitudo & ſuper hæc maximum pervigiliæ malum infœlicis belli reliquias obterebant. Ergo obſidium ſolvitur, machinæ partim

partim relictæ, partim inutiles redditæ, ægri aut vulnerati crudelitatem hostium oblectarunt: ita Protestantes quos cladis instrumenrum fieri maxime in votis fuit, in consortium cladis non venerunt. Præclarius longe Dux Mercurianus illo ipso tempore Albam 20. millibus circumvallavit: Christophorus Rolwurmius magna cum cœno colluctatione primus mille milites per lacunas traduxit, cæteros exemplo monuit: duo suburbia insulanum & Desliacum paruo negotio occupata, hostis fortiter se tuitus à muris detrusus, urbs quinquagesimo octavo anno quam à Sulymanne occupata erat recipitur. Sed victoriam militis audacia fœdavit, direpta urbe nec Regum ossibus, quibus Turcus religiosè pepercerat abstinentis: mille peditibus Germanis sexcentis Ungaris urbs credita: his præfecti Marcus Insulanus Bononiensis toleratâ Varadini obsidione celebris, & Michael Vatai. Captę rumore Hasanes Gyimesgyis Ibrahimum Purpuratorum Principem excipiens castra Mercuriani aggreditur: Mercurianus adventu Mathiæ Principis recreatur: fur...a hic animorum, ac virium contentio, jamque desperantibus nostris Murathes Budensis, & Mehemeth Kihaja (quod legatum notat) glande sternuntur, cæterum corpus labascente capite cæde V. millium in fugam compellitur. Sed sequenti anno Noribergæ extincto jam

victore

victore Albam Hasanes repetit; (a) Insulanus ac Vatai dum murorum restaurationi incumbunt, pene opere perfecto oppressi, Germanorum scelere Turco produntur, Præsidiarii omnes dimissi, Insulanus ac Vatai rogati num volentibus sibi urbs esset extorta; cum id firmiter negarent, ambo comprehensi, ambo in captivitatem tracti, *fidem volentibus datam, nec se obstrictos ei cum quo non esset contractum.*

(a) A. 1601.

CAPUT XV.

Rosvurmii ad Pesthum acta: Bastâ ejecto Moses Szekhely Transylvaniam occupat: quem Radulo Transalpinus frangit: irrita Gabrielis Bethlen, fælicior Stephani Bocskajii rebellio. Bocskai cum Bastâ ac Belgiocosæ Comite variata prælia facit: tandem pace facta, Transylvaniam sibi ac Turcis subjicit, Hungariam Cæsari restituit: Turcus Strigonio occupato, & ipse fœdus in 20. *annos percutit.*

GErmania octuaginta mensium stipendium Rudolpho obtulit, Roswurmius cladem redditurus Budam obsedit. Palfius excesserat,

cesserat, Adolphus Althanius qui eum in Strigonii Præfectura excepit, summâ fortitudine cum Sulcio invectus Pesthum occupavit; Roswurmius deditionem Budensibus persuasurus captos dimisit Budenses longe aliud agitarunt. Rebus obsessorum arctatis Hasanes Gyimesgyis XXX. millia contra Pesthum duxit: occurrunt Roswurmius Nadasdi, Thurzo, fusi fugati ad usque Pesthi mœnia. Jamque re plenâ periculi præsens subsidium accurrit Mathias; Roswurmius Budam, Hasanes Pesthum obsident; summam utrinque contentionem, summâ obsessorum fortitudine retundente? Cum nisi rejecto obsessore securitas nullâ esset. Craczius turmis Præfectus excurrit, pugnat diu fortiter, nisi fortuna decollasset; Hungari inusitato metu perterriti, Germani firmiores prælium sustentarunt, destituti sociis, & ipsi cessuri. Hasanes commeatus inopiâ Belgradum rediit, nostris accessit animus; Adonum, Paxum, Foeldvarum occupata, Tholna ac Colocsa XVI. infra Budam millibus, Haydoni præda facta. Nec mitiores Budenses, eruptione, & irruptione fatigatos hostes aggeribus rejiciunt, tormenta partim axibus rotarum dissectis, partim spiraculo clavis infixis inutilia reddunt: factum Roswurmio latum acceptum, chartis pictis intento, & præsentium incurioso. Major inde trepidatio: Omer, & Ibrahim Begi,

Albâ Szygetho, ac Canysâ præsidiarios deduxerunt, Budæ laboranti adfuerunt; hos Nadasdi, Thurzo, ac Herbestaynius obvii prope Pesthum ceciderunt, eruptionem Otho Rhenadus, & Sigfridus Collonicsius retuderunt. Fœlix his victoriis Mathias, majorem infœlicitatem sensit, assidui imbres, rigidum gelu: & *super hac maximum* inquiei malum execrantem locum toties sibi petitum, solvere obsidionem coegit, Pesthum munitum Alberto Princestaynio commissum: cætera turma ad Hyberna dimissâ: (a) Pestes & terræ motus in Pannonia atque Austriâ notarunt futuram regni mutationem: Tatari cum Turcis excursione facta quicquid ad Papam Camenesum montem Cestregum, Dobronacum, inter Dravum & Muram ad Perlacum usque situm est, inde in Illyrico, à Caproncia ad Varasdinum, ac Viniciam tantâ celeritate verterunt, ut illo ipso tempore quo rumor auditus, passim direptio non sine Georgii Zrinyii animam tunc agentis indignatione sentiretur. Transylvania ut plerumque varia visa: Basta cum Regnum expilasset, *sensit quantum sit ea perdere quæ possessurus venerat*; fames toto Regno, pecuniæ inopia, & cætera mala, quæ hinc exurgere solitæ; miles stipendium, commeatum regione indigna postulat, furit, *detestantibus malum Imperatorem, vel iis qui*

(a) Æ. 1603.

qui malum fecerant ? Ergo Sacmarium concedit, discessio militis Mosé Szekhely Principatus traditur, Mehemethi Turcico Imperatori subjicitur: Moses Bectessis Temesvariensis Bassæ, & popularium favore Caransebessum, Albam Juliam, Claudiopolim, Cibinium totam adeoque Transylvaniam parvo tempore occupavit! Sed *subita fortuna non diu adspiravit:* Georgius Radulo Vayvoda Transalpinus, fidem à Michaele prædecessore præstitam, Rudolpho firmavit, Mosem noctu aggressus Turcos, ac Tataros infami fugâ pepulit, Transylvanos dissipavit, triginta quinque vexilla Pragam misit. Occisi prælio Moses Szekhely, proceres plurimi, & quatuor millia cæterorum. Comes Solmensis Albâ Juliâ receptâ profligatus à Turcis, captus, & Byzantium missus fortunam sociis persequendam reliquit! Inde Bectes, & Albertus Nagy trium millium exercitum parant; hos Henricus Duvallus Tampirii Comes, & Ludovicus Rakoezi deleverunt, Transylvania recepta, Jesuitis Claudiopolitanum majus templum traditum. Victor passim Cæsar Johannis Molardi, & Nicolai Brukhayseri opera decem viros gubernandæ Transylvaniæ dedit, tamdiu rerum potient s, dum à Bocskaio mutarentur. Æque secundæ res in Hungariâ nisi Præfectorum avaritia res omnes corrupisset; Nadasdi ac Collonicsius Laccum, Bolond-

Bolondvarum ſubjecerunt : regionem crudeliter habuerunt : in hos Murathes Budenſis ad Sarvizum milites colligit, Haſanem præſtolatur opportunius prælium facturus : id Collonicſius, ac Sulcius ſubodorati confeſtim ſe explicant. Murathem fundunt : Roſwurmius ad Strigonium ſubſtitit Haſanes caſtra ſua caſtris noſtris oppoſuit : ſtabat ex una parte Haſanes Cilix nuper in Phrygia ſeditionum excitator, altera Murathes, ſequuntur ad 10. millia cæterorum. Roſwurmius prælio non detrectato: pugnavit uſque ad diluculum ſumma contentione, tormentorum ictu pulſi Jeniceri, fracti cæteri ad VII millia perdiderunt: Roſvurmius parta victoria ſucceſſus urget, Hatvanum Turcis reſtauratum, Turcis extorſit, Peſthum firmiter munitum Grayſperio commendavit : Mehemethes tertius præ abdomine vix pedum compos, inter concubinarum, & exoletorum greges periit, relicto Achmethe filio pene impubere ſuetâ iſti familiæ infœlicitate. Achomathes ad pacem ſe applicuit, convenientibus deputatis in campo Rakoſiano peroravit Bartholomæus Pecſius : Turcus Strigonium Jaurinum, noſtri Canyſam petunt ; fruſtratus ergo conventus. (a) Anno ſequenti Habitis Poſonii comitiis jurgium excitatur, quod Caſſovianum majus templum Baſta Canonicis

(a) A. 1604.

nicis Agrienſibus tradidiſſet; paſſim cives non tam Cæſaris (quo nihil mitius) crudelitati, quam Præfectorum inſolentiâ laborabant: Johannes Jacobus Barbianus Belgiocoſæ Comes Gonzagæ ad Caſſoviam ſuffectus ex Jeſuitico ſodalitio ſævus inquiſitor Proteſtantibus metuendus, totâ ditione Euangelicos proſcripſit, ejecit, in immunitates Regni involavit. His utcunque in præſens ſopitis de bello conſultatur, auctis animis ab Hodabendis Perſæ legatione audacia certabat; *quod Turcus Imperator puer eſſet, ſi Chriſtiani ſincerum amorem, & pacem inter ſe prius ſancire potuiſſent.* Rolvurmio ſegniori Baſta contra Turcos ſufficitur, Tranſylvania Barbiano, Præfectura ultra Danubiana qua ſe Thurzo abdicaverat Sigfrido Collonicſio commendantur. Haſanes *nuperam fortunam meliori penſaturus* in campis Peſthanis adfuit: Jagenreuterus Peſtho, præſidiarii Hatvano diffugerunt, Strigonium irrito conatu obſeſſum. Inde Turcorum impetus longe minor viſus, cum Hungari magis impotentia militis, & imperatorum, quam hoſtium fulmine laborantes, in ſummâ animorum exulceratione Stephano Bocskajio adhærent, motus excitant; cauſata inquiſitio, Germanorum inſolentia, & immunitatum everſio. Moſe Szekhely occiſo Gabrielem Bethlen in ſpem regni Tranſylvanici Turci erexerant: ſed modeſtior in

adversis, quam secundis ultro Bocskajio Principatum permisit, confœderationis socius sese submisit, *& tanto major Principe, quanto modestior passim proclamatur.* Bethlen cum Bectesso Temesvariensi Purpurato Lippam intercipere tentat; ubi incautius hærentem Ludovicus Rakoczi, & Henricus Duallus Tampirii Comes clam adorti, terrent, cædunt, Bethlen & Bectes seminudi, & semisomnes abscurrunt. Repertæ in Bethleni veste literæ, capita initæ cum Bocskajo conspirationis detexerunt, Franciscus Szekhely Szent Jobi Præfectus, Cypriano Concinio Varadini legato, Concinius Barbiano confirmarunt. Barbianus in re plenâ periculi mature prospecturus Rokomazum ad castra proficiscitur, milites parat: vocatus Bocskaji tergiversatur moras nectit, confœderationem tamen negat; Inde suspicio aucta, victoria omnis in celeritate posita: Haydones in religionis causâ ejus alias prorsus ignari, Nobiles in Bihar, Szolnak Szabolcs & circa ad partes tracti, Barbiano sævo inquisitori restituri. Barbianus Lippajum, Szylvasium, Uyvarium, Nemethium Haydonum Præfectos novo juramento Cæsari obstrinxit; sed volato: audito religionis periculo Tampirium eos è contuberniis educturum repente destituunt, diripiunt, fœderatis se se jungunt. Accurrit à Kakomaz Peciius prætorianorum ope rebelles ad

ad officium reducturus: jam Berettyonem transmiserat, Adorjanyum pervenerat, cum accensu fortuito pulveris dissoluto ordine graviter afflictus, cæsus, castra splendide exornata h[illegible]i reliquit. Bocskaji partâ victoriâ animosus Debreczinum venit; Pontem Dioszeghianum, & Sacam Franciscus Redei occupavit, Henczidam Gregorius, & Sigismundus Nadanyii, Csatarum, ac Szekelyhidum cæteri Barbiano præcluserunt; Barbianus cum Sacmarium concessuro, Berettyonem transmittendi potestas deesset Varadinum venit, defensione desperatâ Tocajum fugit, nec hic securus; ubique timidus, quod Valentinus Homonnai, quem ad incerta belli ad Sixoviam excubare jusserat fortunam Bocskaji sequutus fuisset Cassoviam dilapsum Johannes Bocacius Prætor Urbis Lutheranismo addictus exclusit, statim post Adorjanyinum prælium Bocskajii clientelam venatus; fugit ergo Scepusium; Christophorus Turzo loci Dominus Cæsarem amplexus, nec Barbianus tutus; Eperjesso, Cibinio minori, Leuchoviâ impulsu Johannis Deseffi Cassoviensium exemplum sequutis. Blasium Lippai ex sordido Zigarorum genere barbaram ob fortitudinem evectum, Bocskaji sibi præmisit, Cassovia portas aperuit, ærarium expilatum armamentarium occupatum; Michael Catai Kalloviam tradidit, præmium defectio-

P 2 nis

nis Cancellarii dignitatem consequutus. Lippai cúm opportnno consilio Belgiocossam Scepusii obsedisset, summâ virtute Turzonis repercussus, Thurzonis pagos diripuit, & cætera fecit, quæ incensis pagis fieri soleant. Basta cujus odio potissimum hæc fiebant Cassoviam cum XV. millibus profectus est, Blasium Nemethi cuncta cum suis Haydonibus populantem obvius ad Osgyanum cum veteranis suis fugavit, (a) Nemethium capite minuit, Eperjessum ad Cæsarem traduxit. *Sed minus fuit vincere, quam vi posse regere:* Hungari pro immunitate effrenes jussi, injussi Germanos cædunt, Bocskajio ad Cassoviam Sigismundus Rakoczi, Homonniani, Magocsii, Dessii, Szecsii, Nyarii aliique decora, & ornamenta Regni ultro adhæserunt. Ab auxiliis Mehemethis Vezirazemi firmiores Bastæ ad Boldavam flumen occurrunt, primum Bastę impetum sustinentes, indurato Germanorum robore vincuntur: Szendreovia Germano recepta, Ruberus obsidione qua Tocaji premebatur liberatus. Basta ubique victor Bocskajium monet ponat arma, seditiosam mentem ad obsequium vocet: Bocskaji nisi Transylvania sibi relinquatur, Præfecti tam Generales, quam Castrenses Hungari eligantur, extranei milites exportentur liberum religionis exercitium concedatur paci

(a) A. 1605.

paci præſtare bellum docuit. Baſta avaritiam luiturus propriis à militibus arctatus eſt; ſtipendiorum inopiâ fremunt cuncti Imperatorem cum nihil præter verba daret armis in hoſpitio impetunt: una etiam direptione XXIX. curruum pecuniâ panno aliiſque ſtipendiis onuſtorum factâ ab ipſis cuſtodiæ deſtinatis, cum latrones vel in Poloniam, vel ad Bocskajium transfugiſſent, Præfecti nummis Solmenſis atque Storrenburgius dilapſi eſſent in ſummam ſollicitudinem adductus eſt. Caſſoviam tentat, ſed infœliciter, alienatis civibus à rapinis ducis: *quem metuunt oderunt, quem quiſque odit periiſſe expetit, multorum autem odiis nullæ opes obſiſtunt.* Miles partim odio, inquiſitionis dilapſus eſt, partim penuriâ ſtipendii armatus Ducem petivit: militibus vix pacatis, nullibi pacatus Leuchoviam receſſit: Franciſcus Redei tam parva manu duobus Haydonum millibus paſſim ſtudio, & factione popularium, Corponam, Sithviam, Chabragum, Vacziam occupavit, Sadvarum, Zolyium, Nogradum, Dregelum, Bujacum & pleræque arces inter Sayonem, Ipppium & Vagum defecerunt: tentatum quoque Blaſio Lippaio, & Nicolao Sennejo Eperjeſſum, fortitudine Georgii Pucchami obſidione exemtum. Blaſio triumphabundo majus malum ſupervenit: Bocskai offenſus inſolentiâ ex infimo genere evecti, qua

omnibus consiliis se intermiscebat, tollit Blasium è medio, uxorem ad pristinam Zigaræ conditionem redigit. (a) Inde Demetrium Nabradi Episcopum Beszprimiensem, & Sigismundum Forgacs legatos excipit: Turcis intentissime observantibus cuncta actitata, Stephanus primo statim congressu aperte professus est, *si ab Hungariæ Proceribus mittantur, gratam sibi esse legationem, & mandata auditurum: sin à Cæsare frustra venisse, qui jam eo pedem induerit: unde retrahere non possit.* Habitis Szerencsii Comitiis rationes motus partim religionem, partim publicam libertatem, ac salutem patriæ professo Principatus confirmatus, Romana, Augustana, & Helvetica religiones receptæ, Transylvaniæ summa Præfectura Sigismundo Rakoczio, copiarum Valentino Homonnajo credita. Exhaustum Regnum purgaturus in Transylvaniam rediit; reduci accurrit Chausius; nomine Principis Turcici præsentavit clavam, ensem; vexillum Regni dati insignia, clamantibns Cæsarianis *servitium Turcicæ societatis esse premium*? Ita arridenti fortunâ Stephanus Corlatus, & Georgius Kikedi ad Szultanum ablegantur fidelitatem ostensuri ipsâ legatione sceleris damnatâ pueros Germanos muneri adnectentis. Cassoviam profectus Bocskai Stephanum Illyeshazi ob [illegible] crimen

(a) *A.* 1605. 28. *Mart.*

crimen Majestatis proscriptum, profugum ex Polonia revocat, Trincinum, Fueleccum, Sacmarum, Husztum Haydonum virtute perdomat, Nitriam Franciscus Forgacs loci Episcopus inconstantia suorum Redeio tradidit. Basta magno in vitæ periculo versatus ob stipendii inopiam, illa ipsa pecuniæ aviditate, quam insectatus fuerat pauper, pene militibus præda extitit, Posonium fugit. Tentavit huic Sigfridus, Collonicsius ferre auxilia, sed miles fortunam adversæ partis sectatus est, Tyrnavia Stanislaus, & Christophorus Thurzones Redejum agnoverunt. Inde ulterius arma mota: Octo millia Haydonum, & mille Turci Dengelegio Præfecto in Moraviam irruperunt, qua incendiis & cædibus deprædata quatuor millia hominum in servitutem tracta: Tocajum Reuberus tamdiu tuitus dum extrema imminerent, ad extremum tradidit, *virtutem & constantiam collaudante vel Bocskaiio.* Nec hic stetit cædes, *scelerata majorem ultionem* poposcerunt: insula Csallokoez defecit, fœderatorum sex millia Benedictum Bucsium sequuta concrematis ex itinere Sempsio, Bozinio S Georgii, Celesio, Posonium irruperunt, rejecti à Basta. Michaeli Somogyi pars sese applicant; Austria ad Prinquelium usque evertitur. Stephanus Nemethi cum *videret cæteros ditari, sibi vastatas regiones peti,* Danu-

 bium

bium ad Sabariam. & Raicam tranſmittit: Nadaſdi, Ratkai, Hagymaſſi & cæteri agris metuentes adhærent, urunt vaſtant mirabundis vel Barbaris; Sabaria, Koermendum Kiſmareon, Fracno & quicquid inter Laytam ac Arrhabonem ſitum eſt occupata, & vaſtationes commiſſæ *Barbaris fieri ſolitæ.* Immanis ferociæ viri religionem prætenderunt: cujus quam ſtudioſi fuerint, miniſtri ad Cobelſtorphum excarnificati, pueri, juvenes infantes ſummo Turcorum ſtupore Turcis in ſervitutem venditi teſtabantur; *ita lento gradu inquiſitiones pœna excrevit, peccata in Chriſtianis, magis quam Muhammedanis divinâ indignatione puniente.* Horruerunt cuncti, cum Deus ut oſtenderet, quantopere ſcelera hominum abominaretur fecit ex auro cujuſdam Turcis Chriſtianum vendentis cruorem manare: *hæc Imperatorum erat coercere. niſi & ipſi ejuſdem rapinæ diligentiâ ſcelerati evaſiſſent.* Sopronium nequicquam Nemethio tentatum, in Styriam ſecundus impetus converſus: regio inter Arrhabonem Pinguam, & Lapinicium crudeliter habita. Draſcovitius Illyrici Præfectus titubavit, mox pronior in Cæſarem, ſociis Trauthmansdorfio, ac Battyanio X millium exercitum facit, hoſtem à Sclavoniâ rejicit: Nemethi Szygethum, Nadaſdi Egervaram, Hagymaſi Szentgrotum. Tatari Coppanum repetiverunt: inde Draſcovitio

Drascovitio crevit auctoritas, Kermendum, Sabaria, Koeszeghum & cuncta ultra Arrhabonem *valide stipatum* agnoverunt. Ita *Regno vel Regem ignorante, vel suo se gladio jugulante* Mehemethes Vezirazem Strigonium quod Christianis ipse tradiderat obsedit: obloquitur Bocskai, cautum esse fœdere ne qua urbs Turcis caperetur; sed nec sui compos Turco roganti, an mandanti Valentinum Homonnai cum sex millibus submittit. Abdicantem se Adolphum Althanum Vilhelmus Oetingensis in Præfecturâ exceperat: Vilhelmus malo consilio Hungaros præsidiarios jussit facessere, facessiti Redejo se junxerunt: Germani, Præfecti casu decimo anno quum capta erat Turco urbem tradunt. Redejo Eerfekuyvarum obsessum. Illyeshazi asseverat; jurat finito bello restitutum iri, ne Turcis cedat procuretur: clamant alii præstare Turcos, *plura à fœderatis, quam à Turcis ferri*, ad extremum sanius consilium vicit, Mathias Redejo tradi arcem jussit. Mehemethes Purpuratorum Princeps ad nuptias Budensis profectus, Bocskajum advocat; Bocskai ad Rakos advolat: Alys Budensis obviam missus, sequens dies Transylvaniam sub tutelam Turci commendatam vidit: Mehemeth propositum laudavit, mala sub Cæsarianis, florem sub Turco protulit, Regi Hungariæ creato Coronam Imperato-

rum Byzantinorum aut Thraciæ Desporum creditam, ensem auro & gemma inter textum, & alia ornamenta obtulit. Negavit Bocskajus Coronam ut insigne Regni se accepturum, professus Cæsarem rite jam coronatum; *In fastum non mutatus idem Princeps qui privatus fuit, agnovit agnitus est, eosdem subditos, eundem se putavit, par omnibus & hoc tantum major, quo melior, cui Regnum accessit modestia non abscessit.* Purpuratus X. annorum immunitatem concessit: his elapsis X. millium aureorum annuum tributum in recognitionem superioris Transylvaniæ imposuit: clamant Jeniceri donorum avidi fœlicitatem, *irridentibus aliis servitutem.* Habitis Corponæ comitiis Sigismundum Forgacs excepit, Cæsarem liberum exercitium religionis, Palatini creationem, Camerarum sublationem permittere, & cætera temperare; sed Illyeshazi renuit, Viennam venit pacem Mladossovitio collegâ tractaturus: cum Turco pacem posse fieri, Bocskajo & ordinibus, id curantibus, *alias ipsi pacem simulantes suis commodis inserviunt.* Turbatæ res erant à Bassa Alepensi, & Caramano, unde Szultano consternatio, quo magis pacem Christianorum ursit nec transegit priusquam pacta Bocskajii vidit. Illyeshazi paci initium Viennæ fecit, (a) Cæsar omnia

(a) A. 1606.

omnia patiendo, & nihil recuſando ad quaſvis conditiones propendit, certo improlem Bocskaium brevi ad plures migraturum: amneſtia utrinque promiſſa, Romana, Anguſtana, & Helvetica profeſſiones liberæ, Palatinus Hungarorum ſuffragiis eligetur, Cameris ſublatis Præfecti ærario ſtatuentur arces Germanis pignori datas Hungari redempturi, Ungaria per Hungaros adminiſtrabitur, Jaurinum tamen & Comarom Germanis bene meritis tradi poterunt. Tranſylvania omnis cum parte Hungariæ quam Sigiſmundus Bathori obtinuit Bocskaio tradita, Sacmarum Tocajum, Ugocſa, & Beregh Dynaſtiæ adnexæ improle Bocskajo coronam reſpecturæ additum pace Turcicâ quæ urgebitur, deſperata arma jungantur, Nobiles Epiſcopi in Hungariâ nati conſiliis admoventur, alii nulli. Hungaria, Bohemia, Auſtria, Moravia, Sileſia, Luſatia jurarunt in articulos, Tranſamius, Mollartus, Sigfridus, Preuneus, Lichtenſteynius & Kreubergius ex parte Cæſaris, Stephanus Illyeshazi, Petrus Erdœdi, Georgius Thurzo, & Sigiſmundus Forgacs ex parte Hungarorum ſubſcripſerunt. Mathias quod Melchior Cleſelius Epiſcopus Neoſtadienſis hæreticos Achabi, Jeroboami, Manaſſis aliorumque exemplo bonâ conſcientiâ tolerari non poſſe ſuggeſſiſſet aliquam diu ambiguus

hæſit: ad extremum cum & Mathiæ conſcientiam per hoc vellicaret, & à Polycarpo Leyſero Saxonis ſeptemviri Præcone retunderetur, pactum ratum habuit: Varadinum quod Babtiſta Pecſius, & Cyprianus Concinius hactenus tuiti erant Bocskajo, Illyeshazio ſui non oblito quibus perduellis multatus fuerat S. Georgii, & Bozinium tradita. Inde cum Turcis tractatum, variis hinc inde prolatis pax in XX. annos confirmata: Achmethes Sultanus Cæſarem vocet Patrem, ille eum filium; ambo Cæſares ſalutentur, controverſias ſuborituras Jaurinenſis & Budenſis ſopient, arces prout ſunt novis non extructis manſuræ, præter quam quod Vacziam noſtris reſtaurare permittetur. Cæſar ducenta millia imperialium hoc anno Turco ſolvet, nec alias quicquam, commutatis tertio quoque anno utrinque muneribus, fida conſolidabitur amicitia. Transactionem Bocskajii morbus excepit, libenter ſe moriturum profeſſi, modo Dei gratiâ ſeditionem excuſare coram Imperio, & mundo poſſit. Excedens Valentinum Homonnai Principem teſtamento nominavit, inhiat Valentinus ipſe quoque ſed Tranſylvani Sigiſmundum Rakoczi ultro volentem Principatu abire, *conſuetudine* ad imperium traxerunt: lachrymatur, renuit, ætatem tranquillitatem, & cætera cauſat, ſed Claudiopoli vel invitus adigitur, modeſtiam

ſtiam Principis, pertinaciâ ſubditorum vincente Homonnajus iram coquit, fremit, Bocskajanas opes ſe miniſtro in Tranſylvaniam deferendas diripit, Ungvarum recedit, exemplo moti Szecſi, & Paulus Nyari ſibi commiſſa dividunt, *vi, & aliena paupertate partorum deſideratus finis.*

CAPUT XVI.

Rudolphus pacem firmare cunctatur: Mathias Hungariam rapit: Sigiſmundus Rakoczi in Gabrielem Bathori Principatum transfert? Bathorii cum Radulone, Andrea Geczi & Gabriele Bethlen acta, ejus, nec non Achmethis Turci mors: Ferdinandi motus cum Venetis, turbulentâ Bohemiâ Mathiæ exceſſus.

PErſici Regis legatus pactis pene confirmatis Pragam advenerat; legatus cum in jus extolleret vires ſui Domini, eique certum eſſe diceret Otthomannicam domum excindere, Rudolphi tarditatem auxit ne initam quamvis æquiorem firmaret pacem. Urget Turcus, fremitum excitat, qui induerat deſiderium finiendi cum Chriſtianis belli, quod Serdar Profultanus Gambolathi defectione (qui Alepum; Damaſcum, & Tripolin

lin occupaverat) tremendam potentiam simulato in Szultanum velantis obsequiq sollicitus hæreret. Inde Haydonibus renata latrocinandi occasio, Mathiæ crevit auctoritas, qui gratiosus Prorex apud Hungaros, aditum Regni patefecit. (a) Stephanus Illyeshazi certus simultatum inter Cæsarem, & fratrem Mathiam, quod Rudolphus in Ferdinandum Caroli nepotem propensior ejus operâ Ratisbonæ in comitiis uteretur urget Mathiam. Mathias milites scribit, disturbaturus ut fereb atur Hispaniensium consilia; qui Ferdinando magis Catholico Hungariam, & reliquos Austriacorum Principatus destinarent: sub prætextu Haydonum coercendorum 100. trahis curribus que Posonium venit, in arcem admissus, ab Archiepiscopo, & Cardinali Petro Pazmanno, & Stephano Illyeshazio exceptus Regnum rapuit. Hungaris pax Viennensis à quâ dimoveri non poterant confirmata, mutua cum Austriacis subsidia oblata. Hungaria, Austria, Moravia ad arma conclamarunt cum Archiduce victuræ, aut morituræ. Mathias XX. millium exercitu, & XXVIII. tormentis Znaymam advolat; habito Zaslaviæ conventu Moravos pertrahit, armatâ manu se Pragæ ostentat. Cæsar. cunctatione, & negligentiâ fortunam corrupit, nam dum Bohemi in armis fore se polli-

(a) A. 1607.

folliciti libertatem confcientiæ ad Patris Maximiliani exemplum fanciendam, officia Ecclefiaftica, Politica, fepulturas cum Catholicis communes Proteftantibus contenderent; Cæfar poftulata diftulit cunctatione eludere vifus Hungariam Auftriam Mathiæ tranfcribere debuit: juramentum fubditis remiffum, Corona gladius S. Stephani, pomum aureum, duo paria calceorum pervetufta, fcripta, literæ, privilegia duorum menfium fpacio omne æs alienum in fe fufcepturo Archiduci tradita. Archidux 22. Octobris Pofonium venit, articulos, plerofque repetitos à Viennenfi tranfactione, Jefuitarum ejectionem, Palatino defuncto novi intra annum ejectionem, Judice Curiæ res interim miniftrante confirmavit; & confcius quantum ab eo effet adjutus Stephanum Illyeshazi Palatinum creat, cum fedes per annos *XL* VI. inde à Madafdio vacaffet. Habitis Caffoviç Comitiis legatus Turcicus pacem urget, quam Mathias jam Hungariæ potius ftabilivit. Sigifmundus Rakoczi Tranfylvaniæ Princeps fidelitatem Regi Hungariæ præftitit, Rakofianis auxilium petentibus qui in Poloniâ Nicolao Zebrzidovio, & Johanne Ratzivilio ducibus contra Regem, Sigifmundum & Jefuitas fœdus pro libertate condiderant, refpondit: *Nefas fibi videri in proprium Principem infurgere, & civile bellum auctorum infamiâ finiri.*

Atque

Atque ut teſtaretur quam minimo flagraret dominandi æſtu Principatu quo annum functus fuerat ſe ſe abdicavit, eumque Gabrieli Bathorio tranſmiſit, impetratâ ab Achmethe confirmatione, & Mathiâ adminiſtrationem nequicquam affectante. In Auſtriâ res nutare viſæ: cum Proteſtantes invaleſcerent Leopoldus Archidux & Epiſcopus Paſſavienſis, Melinus legatus Pontificius, & Cardinalis Forgacs templa occludunt, exercitium religionis interdicunt: Proteſtantes niſi ſalvâ conſcientiâ Mathiæ fidelitatem negant arma expediunt, rogant Senatores Hungariæ, pro religione intercedant, quâ non obtentâ armatis ſibi armatos ſe jungant. Hungari in Regem non inſurrecturi Auſtriacos ad pacem hortantur; mittitur Georgius Thurzo, apud Maximilianum intercedit; Maximilianus nihil contra pacem tentari, religionis exercitium ob conſcientiam, Pontificem & Hiſpanos negatam, rebellem animum ad ſaniora conſilia revocantibus ſi non in civitatibus, ſaltem pagis conceſſum iri! Legati fœderatos rogant bello abſtineant, Hungaros paci implicatos non ſubventuros, *religionem patientiâ non gladio tuendam*: urgent tamen Saxo Elector, & Principes: & ad propulſandam vim ſe ſe comparantibus, ad inſtar Hungarorum & Moravorum Mathias poſtulata conceſſit; Stephanus Illyeshazi creatus Palatinus coronæ

aſſervandæ

asservandæ novam structuram in arce Posoniensi perfecit, Germani *Præfecti* ab Hungariâ remoti, Collonicsius cum meritorum oblivionem refricaret, ampliore quam functus erat dignitate honoratus. Superstite adhuc Rudolpho in Transylvaniâ inter Turcum, & Cæsarem plerumque dubia, neutri penitus addictâ varie res nutaverunt; Radulo Transalpinus Cæsari magis, quam Turcis fidus Bathorii imperium detrectavit, (*a*) Bathorio universam Daciam (quam Bocskajo Turcus permiserat) mente complexo. Parat ex Transylvanis exercitum, quantus intra quinque annos non erat visus quo universo ad Brassoviam virtute Radulonis exutus est! Inde Mathiæ crevit audacia, quod verbis expugnare non poterat, vi perfecturo: Sigismundus Forgacs Transylvaniam intrat, Claudiopolim aliaque munita loca ad Mathiæ obsequium traducit, Bathori ad montes secedit. Usus ad rem perficiendam diligenti civium favore: nam Bathorius ob nimiam crudelitatem, & libidinem dum promiscuè ingenuas matronas formæ pulchritudine comprimit, compressas fas nefas polluit, pessime audiebat; Verum quæ est bellicæ sortis inconstantia, mutatis rebus Forgacs à Bathoreo cæditur, compulsusque in sylvas, quum varias pertulisset miserias in Bohemiam penetrat. Bathoreus Brassonem

(*a*) *A.* 1611.

nem recipit, Transalpino regresso auxiliis implorandis Andream Geczi ad Sultanum ablegat: sed Andreas *sublato jure legationis* suum commodum quæsivit, Lippam Jeneonem & alia ad Varad propugnacula Turco obtulit Tyrannidem affectavit. Hæc Bathoreo reconciliationis cum Rege causa; Bathori tam potentiam Turci quam suorum constantiam suspectam habens apud Stanislaum Thurzonem, qui in Palatinatu Illyesbazium exceperat, quærit auxilia, se in tutelam Mathiæ insinuat. Oppositus Budensis Geczii principatum promovet. Victus fusus Geczi, invictus Turcus fuit; Szultanus rogat Mathiam jam Cęsarem Rudolpho nuper denato substitutum alieno manus abstineat, pagos ad Strigonium restituat, ipse pace simulatâ bellum meditatus: Bathori motus Regi perscripsit, Cum nihil per legatos fieret, ad vires vimque pugnantium res abivit. Turcus Gabrieli Bethlen Principatum confert, & ipsi iisdem quæ Geczi promiserât contributis Principatum emercato. Bathori robustus ipse, ut funem crassum plantæ pedis suppositum, per tergus extremitati manibus innixus in diversum distraheret, naturâ in iram præceps plus terroris quam virium circumferebat. Hungaros & Saxones crudeliter habuit promiscuè quosvis perfidiæ suspectos ad supplicia rapiens, cruentus in suos sine dignitatis, legis,

legis, aut justitiæ respectu grassatus est. Tamdiu tulit insolentiam Transylvania, dum aberat libido, cum honestas matronas fœde compressisset, à viris formæ pulchritudine abductas polluisset, Proceres immunitatem à pœna scelerum ultori promisernnt. Inde prona ipsi omnia: Bethlen Lippam, Jeneonem, Aradum Turco contribuit, Principatum sumsit; præsidiarii cum obsequio abrupto ad Cæsarem defecissent, Bethlen Varadino (ubi Bathori ob scortationes male audiebat) deductis tormentis Lippam, Aradum ope Scanderis Bassæ subigit. Turco tradit. Jam Jeneonem premebat, Stephanus Petnehazi loci Præfectus firmiter resistit; Vocanti Principi adest; *se quidem, ultro Bethlenum agniturum, nec portionem soli, quæ pedis plantam æquet, hosti concessurum. si occidatur parvi vitam esse, animatos præsidiarios ultima perlaturos.* Ita fortitudine Præfecti Jeneo servata, Bathori ex omni parte cinctus, hinc suis in Transylvaniâ molestus, inde Turcis, Claudiopoli veloci equo Varadinum profugit tantâ celeritate, ut 15. milliaria Hungarica die ementiretur. In arcem admissus hæsit aliquamdiu: Proceres, Gregorium Nadanyi, & Johannem Szylasi cum quibus Bathori familiariter vivebat obtestantur tollant Principem è medio. Nadanyium & Szylasium trepidantes inter scelus, & Majestatem, Caspar Decsi concionator loci,
cujus

cujus uxorem Princeps deperibat animavit non defore benedictionem Dei; ſceleratum virum ad inſtar Phineæ occidentibus; prolata ſcripturæ verba, torta, & detorta, hoſtiam gratam Deo indoctis, adeoque credulis perſuaſit. *Princeps* nihil ſuſpicatus alterâ die Szylaſio ſpatham tum forte elimatam monſtrat, laudat, vibrat: Szylaſi rogat. *Principem* videndi ergo concedat ſibi, ſceleris conſcii manus exécrabilis trepidat; rogatus rationem facti crapulam, & dubia quædam objicit. Enſe Gabrieli reddito, Decſium monet Deum ultorem, & conſcientiam contrarium ſuadere: Decſius clamat iram Dei in Principem, peccata, ſcelera & alia ludibrio mentium præconibus proponi ſolita. Ita percuſſores animantur, balnea aditurum Bathorium in plateâ *Velenc Ze* vulgo dictâ Szilaſi occupat, cædit, Nadanyi ictuum ingeminator, aliis ſpectator non ociofus fuiſſe dictus, Bethlen contributis munitionibus Turcum, datâ obſequii fide Cæſarem placavit. Gregorius Nadanyi & Johannes Szilaſi citati ad Comitia Medgyeſina, jurante Bethleno causâ indictâ nihil decretum iri: veniunt ambo, verba Ordinum factum approbantium, Bethleni conatus producunt; efferatus miles furit, armatus advolat, causâ indictâ interfectores aggreditur: fugati in turrim cum tantæ multitudini

(a) *A.* 1616.

multitudini diu restitissent, ad extremum turri dejiciuntur. Michael, Nicolaus, & Stephanus Gregorii filii, ad cognatum Petrum Pazmannum Hungariæ tum Archiepiscopum effugerunt: Szilasii bona in fiscum redacta: innocentioris Nadanyii liberis venia data: Michael & Stephanus reformatæ religionis pertinaces sua repetiverunt. Nicolaus Vir militaris, variis contra Turcum gestis fortunam in Hungariâ quæsivit, quęsita majorum nomini è multum addidit. Jam Turcus Adrianopolim suos collegerat bellum Cæsari illaturus, nisi opportuna Arabum seditio qui Adenum Sultano ademere obstitisset; Emiris Sa'dæ (is è Gothofredi Bulionæi posteris se ferebat) filio Damascenum quoque Purpuratum proturbante. Inde Turcus vicennales inducias cum Cæsare renovavit, haud levi Cosaccorum quoque agitatus injuriâ, qui Tataris graviter afflictis *XXIV.* Turcorum triremes in Ponto Euxino perusserunt, Thraciam ipsam percursarunt, Persâ Georgianorum Regem Szultano adhęrentem pene Principatu multante: intentus in Podoliam Szultanus Achomathes brevi in locum suum migravit anno decimo septimo supra sedecim secula, rebus humanis triginta annos, summâ potestate usus quindecennium: (a) Mustaphas ejus frater in throno locatus fratris maximum

(a) *A.* 1617.

mumnatu filium in custodiam dedit. cæteros interfecit: mox austeritate invisus, & moli impar creditus in carcerem redigitur, Osman annorum octodecim in sede collocatur. Per idem tempus Uschoci Chroatæ Venetos, terrâ & mari latrociniis vexabant ex parvis scaphis magnas naves deprædantes; *Maluerunt tamen Veneti non nocendo aliquid omittere, quam cum detrimento reipublicæ suæ hostibus nocere, non improbante lege factum ejus qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret.* Conquestis Ferdinandus Archidux Præfecto Segniensi mandat pyratas puniri; quo officio cum is non fungeretur, & segnior Ferdinaudus esset, Cæsare & Hispano partes ejus sublevantibus grave bellum suscitatum. Pompejus Justinianus Venetæ militiæ Magister Moscanissam occupavit, Gradiscam obsidentem Thrauthmansdorfius rejecit, Samusâ Fianonâ Uschociorum virtute occupatis interfecit: suffectus, Johannes Medicæus acerrimâ pugnâ excipitur, cæterum Trauthmansdorfium Haydones, & Uschocios profligat, Soynam Istriæ, Barmam, Hanachum Gorsonium Shompegum, S. Petri Cœnobium in potestatem redegit. (a) Altero belli anno Johannes Nassovius valida Batavorum auxilia Venetis adduxit: sed Italicarum insuetus artium inglorius recessit; Ferdinandum,

(a) A. 1617.

dinandum, & Venetos Hiſpanus compoſuit. Occupata utrinque reſtitutâ, Uſchoci advenæ, & ſtipendiarii prædones potius quam milites Segniâ pulſi, urbs Teutonum præſidio commendata. Major exinde fœlicitas Ferdinando.: ſuffragantibus Alberto, & Maximiliano fratribus per Cæſarem adoptatus, Bohemis Rex datur, Imperatore vivo ſe non immixturus, Sileſi, Moravi: Luſati jurarunt in verba: fœlicitas, fœlicitate multiplacata anno ſequenti Rege Hungarorum proclamato. Die coronationis tres ſoles viſi turbatum iri Regnum portenderunt: In Pannoniâ & Bohemia libertas religionis, vi precio, vel tolerantia obtenta, male habebat Romanenſes, cætus interdicti, templa quædam Braunaviæ, & Cloſtergrabii aut occluſa aut ſolo æquata. Id Proteſtantes contra pactum Mathiæ, & Rudolphi eſſe contendebant; appellatus Cæſar præſulibus favit; Proteſtantes Comitiis Pragæ habitis Jeſuitas exigunt, unde bellum apertum. Tampirius Imperatorii exercitus Imperator Biſtricium intercepit, Neuhoſio repulſus ſuburbium vaſtavit, Pilgronum occupavit; Comes Buquojus Saſlaviam progreſſus majorem dedit ſtrepitum. Bohemi Sleſos, & Luſatos alliciunt, Crumaviam ſubjiciunt, Budoviſium cingunt; concurrunt, ad Saſlaviam ambiguo prælio, Erneſtus Comes Mans-

(a) A. 1618.

Mansfeldius Pilsnam Bohemis occupat, Bukojus Budonisio obsidione exempto, Crumaviam in potestatem redegit. Inter fœdos hos tumultus proscripto Mansfeldio Cæsar Mathias continua ægritudine conficitur; Vixerat annos sexaginta duos, imperaverat Germaniæ septem, (a) Hungariæ duodecim, alma pace, & immunitatibus Hungariæ conservatis.

(a) A. 1619.

CAPUT XVII.

Ferdinandus Fridericum Palatinum à Bohemiâ rejicit; huic subventurus Bethlen Hungariam occupat, Regem se proclamat: Tampirium & Bukoium cædit, Moraviam vastat; pace factâ læsus in partem, secundum aggressus Cæsarem à Cæsare rejicitur: Ferdinandi Ernesti coronatio, tertii Bethleni impetus repercussio; qui Bethlen pacem facit, & ductâ Catharinâ Brandeburgica extinguitur.

FErdinandus secundus annitente Mathia Rex electus multâ mutatione Hungariam administravit: Causa mutationis eadem quæ plerumque summa innovandi voluntas; proscriptos

profcriptos ob flagitia Jefuitas fævus in Proteftantes reduxit, articuli Bocskajani multam in partem læfi. Inde Turrenfi ad Viennam cum exercitu hærenti Hungari fe fe addunt, Bohemi cum nihil pro confcientiâ extorfiffent, Regnum Friderico Palatino conferunt, Palatinus addente animum Regii fanguinis Uxore fceptrum fumit, non defore, Jacobum Regem Angliæ, Batavos & alios; fed propinquum auxilium Bethlen pari religionis causâ ad partes tractum. Hungari per Tieffenbachum exciti in Silefiam irruunt, alii in Bohemos, alii pro Bohemis prædæ potius quam caufæ intenti: Bethlen rejecto Homonnaio, qui Claudiopolim Jefuitas introduxerat, Jefuitas vel fufpendit, vel ejecit, promulgato ne quis ejus Ordinis reciperetur. Sociatus Bohemis, & Friderico Regi, XVIII. tormentorum, totidem millium apparatu in Hungariam irrumpit; ubi firmior defectione Pocerum in pactis Viennenfibus læforum, Francifcum Redei, & Georgium Szecfi Caffoviæ immittit. Caffoviâ captâ Andreas Doczius rerum militarium per fuperiorem Hungariam Præfectus pace fimulatâ deceptus, captus, in Tranfylvaniam miffus animam ibi exhalavit; Jefuitæ, Monachi, cum viderent nimiam militis licentiam, mafculos fcortatores evitantis fe fe vel ultro fubduxerunt, vel inviti vi compulfi. Inde Cæfarianis, & Catholicis

terror, fuga Ecclesiasticorum in quos ista faba cudebatur, Rosnobanya cæteræque metallicæ civitates Szesium, & Redejum suscipiunt, Fuelckum, Vaczia, Tyrnavia, Nitria, Posinga, Ersck Uyvarum summâ popularium voluntate occupata. Ad Comarom, & Jaurinum firmiter ab Austriacis munita hæsit victoris impetus; ergo parte exercitus in Moraviam effunditur, Turriano copias jungit, parte Posonium cui Palatinus & præsidium aliquod inerat obsidet, cohortes Bukojii in suburbio hærentes internecione delet, Posonio Corona cæterisque regni insignibus in potestatem redactis Viscetum, Eberstorphum intercipit, terrorem ad Viennæ mœnia circumducit. (a) Plura acturus Georgii Rakoczii clade retrahitur: Georgius Homonnai fidus Austriacis Bethlenii adventu in Poloniam profugus validâ Polonorum subsidia adducebat: Occurrit Rakoczius cum manu aliquâ Cassoviæ à Bethleno relictus, pugnat, Homonnajum pellit. Homonnai victus acie, invictus animo stetit, recentibus à copiis auctior secundum pugnat: pugnâ in biduum extractâ Poloni fugam simulant, Ungaros & Transylvanos dissolutis ordinibus sibi & prædæ instantes fundunt cæsi pedite fere omnes equitatum, & Rakockium fuga abstulit: Bethlen Viennâ omissâ Posonium redit, Redejum

(a) A. 1620.

dejum frenando Homonnajo amandat, ipse repudiato Ferdinando Regem se proclamari curat, fœdus cum Bohemis, & fœderatis repetit, altiora adstruit. Ferdinandus Comitiis Francofurtanis aberat, Cæsari renunciato Bohemi reclamant, cæteri fimiter perstant. Cæsari inducias cum Bethlen pactus ad Divi Michaelis duraturas Maximilianum Bavarum, summum copiarum Imperatorem proclamat, apud Electores, Gallum, Anglum sua sibi extorqueri questus Romanenses Electores, & Saxonem ad se trahit. Bello interventu Galli Ulmæ suspenso, Joachimus Ernestus Marchio Onolsbacensis (hunc Palatinus Heydelbergæ reliquerat) pene cum Maximiliano manus conserturus, in Palatinatu Ambrosium Spinolam sensit: Ambrosius è Belgio digressus Oppenheimio, Crucenaco, Baccharaco, Palatinum excussit Saxo Lusatiam exussit: Onalsbacensem juverat quidem Fridericus Henricus Princeps Auriacus: sed Marchio à Spinolâ auro corruptus, fœde à Palatino discessit. Maximilianus viginti quinque millibus ex Austriâ digressus, Pragam caput Bohemiæ petit: Gauderius Burgundus Bukojii jussu pagum prope album montem Hungaris equitibus, quos Bethlen submisit infessum adit, stragem edit, nocte plus pavente oppugnato quam oppugnatore equos mille quingentos hosti eripit, vincit, cæteros

ros fuga abstulit. Fuga Hungarorum terrorem auxit Maximilianus totâ acie concurrit: Bohemi à Bethlen rogati cunctatione hostem eludant, dum ipse validius incumbet signa conferunt, jamque victores pulso Anhaltino juniore turbantur, repentinâ Hungarorum fugâ, quorum octo millia Bethlen submiserat vincuntur, Palatinus cum conjuge Uratislaviam fugit, Bohemia, parvoque tempore Moravia, Silesia, in Cæsaris verba duris conditionibus adacta. Bethlen Erfekuyvarum Comitia indixerat, alii minis, aliisindulgentia convenere; & non sine periculo adversantium Rex mense Augusto proclamatus Cæsareos; Gallicos, Polonicos Turcicos legatos dimittit, sociarum Provinciarum retinet, ipse militaris ut quadrigies bis prælio interfuerit, liberalitate, & popularis nomine populares flexit, Rex creatus res gerere incepit. Oppositus illi Tampirius summus Hungaricæ militiæ Imperator, 10. millibus Posonium terrâ & Danubio tentat, munimentum ante suburbium, suburbium capit: sed dum arcis situm prospecturus incautius circum ambulat, jaculo petitus prosternitur: Casu Ducis miles discedit, Bethlen Austriam crudeliter habet, magna patraturus nisi socii res in Bohemiâ Pragensi prælio corrupissent. Palatinus Uratislaviâ in Marchionatum Brandeburgensem profugus, *ficta securitate* rogat Bethle-num

num iret modo, successus urgeret, se prope diem ex Angliâ Daniâ milites adducturum. Et sane Ernestus Mansfeldius frater Caroli Strigoniensi obsidione clari Pilsâ & Taboro obtentis strenue res curabat, in Palatinatum progessus lapsa erigebat: sed desertâ Bohemia cuncta in pejus ruerunt, Palatinus proscriptus, reformati Regno excussi, Jesuitæ introducti. (a) Gallus pacem inter Cæsarem, & Bethlenum Hamburgi tentavit, inani prorsus eventu; Gabriel nec regio titulo abstinuens, nec potestatem transigendi Ordinibus faciens, Turcos ac Tataros contraxit; inde contractâ invidiâ: Ordines ad Cæsarem redire gestiunt; Georgius Szecsi in gratiam receptus, multos secum traxit, Franciscum Redejum vi adortus cepit, non multo post ex mœrore contabescentem. Carolus Longævallius Comes Bukojus Moravis domitis XXII. millia XXII. tormentorum apparatu contra Bethlenum adduxit; Bethleni in Transylvaniam recessu, & Germanis atque Hungaris præsidiariis diffidentibus Posonium intercepit, Tyrnaviâ, Ovaro, Schittenaviâ & toto tractu ad Novam arcem potitus, arcem obsedit: Jamque in arcto erat Bethlenica militia, cum Stanislaus Thurzo in pabulatores erumpit, Bukojum audacius ad auxiliandum provectum, confosso equo sedecim

(a) A. 1621.

vulneribus confodit; corpus ejus multo Cæsarianorum sanguine ex Hungarorum manibus ereptum ineunte Julio Viennæ tumulatur. Morte Bukoii res Cæsaris nutarunt; Vallones alium ducem áspernati ansam multa loca, recuperandi hosti dederunt: Gabriel novo exercitu Hungariam aggressus Ungaros Dynastas se opponentes fundit, miles Ersekuyvaro dilapsus. Ita vacuam nactus Hungariam Turriano, & Johanni Georgio Marchioni Jægrndorfio conjungitur, Tyrnaviam expugnat: passim cuncta populatus Posonium nequicquam tentavit, Invitatus à Jægrndorfio penetrat in Moraviam, varia loca occupat, expilat, novos tribunos Eszterhasium, Vallensteynium, Hannibalem Donavium aliosque Cæsare opponente: á quibus casptus Bethlen Jægrndorfii in Slesiam recessu, & commeatus inopiâ dilapsis Transylvanis exeunte anno ad pacis consilia animum applicuit. Missis Ednburgum legatis transactionem postulat, quæ SzentMiklosii finem accepit (a) Bethlen Tocajo Cassoviâ & septem Dynastiis in Hungariâ retentis, coronâ & cæteris Hungariæ urbibus cedat, regio titulo abstineat: contentus Principis Romani nomine Opuliam, & Ratiboriam teneat, statu religionis, & Jesuitis in locum quo ante bellum fuerant restitutis. Ita Palatinus hic decol-

(a) A. 1622.

decollatus, Mansfeldio, & Christiano Duce Brunswicensi, parum contra Tillium proficuis, totâ hæreditaria ditione vastatus, in Hollandiam profugit: Electoris dignitas Maximiliano Bavaro collata, tum *demum ab Imperii Ordinibus cognito, libertate à se datâ, contra se Cæsarem uti*. Jægrndorfius Slesiâ ejectus obtestatur Bethlenum Ecclesiæ subveniat, extincto haud fideliter incendio flamma erupit: Bethlen Vacziam Turcis tradidit, cum octuaginta millibus Turcorum ac Tatarorum per Comitem Turrianum excitos Hungariam invasit; causata religio aurum non numeratum, conventu Oedinburgensi promissa non præstita: legionem Tieffenbachianam ad Tyrnaviam oppressit, in Moraviam prolapsus Comitem Swarczemburgum compellit, obsidet. Præstructis quatuor munimentis ad urbis partem quâ exitus patebat, cætera quæ stagnum paludesque, & sylva cingebant, valido præsidio observabat: in eâ angustiâ Svaerczemburgus divisa prudenter annona, ad initium usque hyemis hostis vim sustinuit: Szultanus per Cæsarem de rebus sinistre propositis edoctus. Gabrielem intentata acinace revocat, Turci ac Tatari impatientes, moræ ac frigoris, imperium Bethleni frustra quibusdam de ligno suspensis abnuunt, Germanorum auxilia non comparent: Quare ad inducias compulso. Obsidio summo fame

maceratorum gaudio solvitur, Principis Romani titulus abrogatur; Turci prædâ graves passim à Cæsarianis Præfectis spoliis exuti aut interfecti; à deprædatis Regnis, deprædati ipsi temeritatis & avaritiæ pœnas daturi: Majo sequentis anni pax redintegrata: (a) Jægrndorfius Silesia, Turrensis Moravia dejecti, Bethlen potiore Hungaria excussus Opuliam, & Ratiboriam ablata initio tumultus recepit. Veterem Regem Hungaria agnovit fœlicitas fœlicitate certavit: Ferdinandus Erneftus filiorum natu maximus Ovarii coronatur: Pater, Conjunx, liberi, Carolus Caraffa nuncius Papæ, legati Hispanus & Florentinus adfuere. Misit & suos Bethlen; Conjugem ex imperio è blandito data Catharina Johannis Sigismundi Marchionis Brandeburgici filia: Berolino adductæ thalamus regali solemnitate Albæ Juliæ celebratus. Comitiis Ovarii unio inter ordines, munitiones contra Canysam firmatæ, (b) licentia plurium Uxorum coercita, itinerum securitas, tributorum modus promulgata, & alia sancita, quæ Regni salutem concernant. Eszterhasi in Palatinali dignitate Thurzoni sufficitur, tormentorum strepitu, & fœlici ad novum Regnum acclamatione Diadema regium palunamentum, gladius, globus Posonio asportata. Præcedebant in Coronatione Ger-

(a) A. 1624. (b) A. 1626.

Germani tubicines, Barones, equitum Magistri cum suis cataphractis, sequebantur Hungarorum Proceres, Dalmatiæ, Sclavoniæ, & Chroatiæ Reguli, L. Palatini ministri Leopardorum, ac Tigridum pellibus contecti; inde Palatinus medius inter Germanos, & Hungaros Barones, corona & cætera insignia Cæsareo currui imposita. Rex in templo de manu Petri Pazmanni Cardinalis, & Archiepiscopi Strigoniensis, Viennæ Tyrnaviæ, & passim Collegiis excitatis celebris coronam accepit: Rogati Hungari num eum Regem acceptarent: passim acclamant volumus, jubemus, vivat perennet, imperet. Rex finito sacro sedem ad populum vertit, quatuor equites ter gladio S. Stephani leviter percussos creavit, Hungarico habitu equo in clivum aliquem adacto gladium versus quatuor mundi plagas, quatuor ictibus vibravit, Majestatis speciem, dedit: sparsâ aureâ, & argenteâ monetâ lauto convivio ab ordinibus exceptus est. Novum Regem, nova turbo inumbravit: mense Julio Hungariam Bethlen invasit excitus à Mansfeldio, qui ipse Germaniâ, Belgio, ac Bohemiâ excussus versus Ungariam cum Vinariensi arma movit: uterque auctiores â Bethleni copiis quem Opuliæ, & Ratiboriæ erreptio male haberet à Vallensteynio cæsi, fugati. Fridlandus apud Nitriam à Turcis repulsus, ambi-

gua prælia cum Mansfeldianis fecit; sed in Polonia cæsis XL. millibus Tataris conditionibus propudiosis Bethlen ad pacem se applicuit Ungaria excedebat, Mansfeldium ac Vinariensem negligere compellebatur, renuncians Tataricæ amicitiæ, Christianos apud Turcum captivos liberare debebat. Mansfeldius, collusionum trepidus Venetias cum suorum expeditissimis procurrit, traditisque Vinariensi copiis, datum ut ajunt visceribus venenum tulit, in Bosnia dysenteria correptus & varia coquens animo versatilem effudit animam. Vinariensis Hoheuwoldæ, & Jabeluncæ potitus dum per Hungariam multa molitur, Transylvani consilus ingemiscens subito & ipse absumitur: *XXXII.* annos natus ob res in Slesia *moderatè & fortiter* gestas magno suis desiderio. Eum Gabriel subsequutus ex immani pedum dolore excruciatus, tortus ut plantas quoque fluidis humoribus educendis findi jusserit: accessit vulneri ignis sacer, unde Catholici invecti omnia elementa in eum conspirasse; igne, ferro aqua interceptum, dignum factis reperisse exitum. (*b*) Legavit utrique Imperatori equum phaleratum unionibus, & quadraginta millibus aureorum ornatum, Uxori 100. aureorum, totidem Imperialium, ac florenorum millia, cum tribus ditionibus, quas ad vitam tene-

(*a*) A. 1627. (*a*) A. 1628.

teneret: hoc de Ferdinando testatus *ambiguæ aleæ plenum esse in eum pugnare, qui nec adversis deprimatur, nec secundis extollatur.*

CAPUT XVIII.

Rakoczius Transylvaniam Stephano Bethlen eripit: ejus cum Csakio simultates Bethlen secundâ discordiâ ad Turcos fugitivus à Rakoczio caditur: Rakoczii bellum cum Cæsare, & fœdus.

CAssovia, Tocajum & cuncta ad vitam Bethleno concessa Cæsarem respexerunt: vidua Catharina Princeps à Transylvaniâ proclamata, cum nec pro debito præesset, nec extranea prorsus acceptaretur, seu sponte, sive ingratiis à clavo abiit, Stephano Csaki in quem amorem transtulerat, Principe nominato. Rogavit & Portam Otthomannicam vellet Csakium confirmare: sed Transylvani rupto Catharinæ obsequio in duas partes iverunt: pars Stephanum Bethlen de mortui Gabrielis fratrem, pars Georgium Rakoczi agnoverunt. Mira visa est fœlicitas Rakoczii cum omnia Principatum ei acclamarent; viduæ legatus promovendo Stephano ad Szultanum missus tentatâ prævaricatione Rakoczium adjuvit,

arces pleræque viduæ liberalitate Csakio concessæ, fortunam in consilio habuerunt? Advolat Csaki, Munkacso à Catharinâ donato inhiat; sed Johannes Balling loco Præfectus, tormentis in ipsum dispositis, respondit arcem Rakocsio se se tradidisse: & præmium defectionis Præfecturam in filios transmittendam accepit. Bethlen jam Transylvaniæ potitus erat, cum omnium non modo extraneorum, quin flagitio execrabili filiorum alienationem sensit: Rakoczi evocatus, oppugnatus à Stephano Bethlen, & Davide Zolyomi, Stephani Principis filio, & genero Varadinum venit, (a) Transylvaniam Bethleno creato Principi extorsit: qui & ipse quietioris vitæ appetens suffragiis, & clientelis adjuvit Rakoczium, Gubernatoris nomen accepit, filio & genero acta condonavit non condonata à scelerum vindice Deo. Stephanus, Stephani filius Comes per excellentiam dictus summæ alias virtutis & scientiæ juvenis Lugduni Batavorum una cum fratre Petro eruditus severas pœnas violatæ paternæ reverentiæ dedit Ecsedii à vermiculis totum corpus depascentibus crudeliter erosus: vitâ discessit, David ab eodem quem sequutus fuerat Rakoczio perpetuo carceri mancipatus, majorem dehinc vitæ partem intra muros exegit. Miserat Cæsar quoque valido exercitu Eszterhasium

(a) A. 1631.

hasium Palatinum qui Transylvaniam occuparet; sed Transylvaniam Rakoczius subjugavit: Stephano Bethlen Prætore Daciæ constituto, & eruptione in Hungariam facta obvium Eszterhasium fudit, rejecit plurimas civitates occupavit: ipse Szultanus quo propensiorem animum declararet stante adhuc pace 10. millia Erskoyvaro immisit; vastat cuncta, populatur, Eszterhasium à Transylvaniâ reducturus: quare & Cæsar acquievit, ne graviori bello implicatus, propriorum ambiguus hæreat. Inde crescente inter Regem, & Principem simultate captata Svecis occasio; qui cum viderent omnem mollem belli Germanici suis humeris incumbere, misso Strasburgensi Rakoczium animant; ultionem tentati Principatus, commune religionis periculum, & privilegia imminuta proferunt. Animatus Rakoczius bellum cogitat, Cæsarem Palatinum, & Csakium, uno impetu vindicaturus; obstabat vidua Tokajii, quæ ministro Cæsari favente utebatur; eum remotum cupiebat Rakoczi, quid sinistri metuens; oppugnati Otthomanni Rakoczi assensi sunt, Moldavo & Budensi auxilia mandarunt. Csakius nec ipse segnior auctus pecuniis à vidua occurrit, pugnatum bis terve diversis gradibus, & cum Rakoczio non prorsus ad lubitum res succederet pax sancita. Csakio sua in Transylvaniâ possidendi

facul-

facultas permissa. Inturbido exteris Regno, intestinæ discordiæ supervenerunt; Stephanus Bethlen cum Petro filio, propinquum aliquem Rakoczii interfecit; & potentiori impar Principatum ante traditum præ metu arrepturus ex Turcis ac Tataris conscriptum exercitum, Gyulam perduxit. Rakoczius ita mobilem Turci fidem detestatus Austriacis se submittit inde subsidia habiturus: missæ ex Silesiâ legiones peditum tres, equitum una: ingruunt Turci, Jacobus Györi peritissimus linguæ Turcicæ simulat fidem Bethleno, hostis consilia explorat, Rakoczio aperit, Turcorum viginti quinque millia fortitudine Sigismundi Cornicsii cęduntur ad Szalontam. Inde David Zolyomius magnâ sponte se agglomerante turbâ bis mille equites conscripsit Svecis adducendos: Rakoczius seu fidus Austriacis, sive res novas pro Socero moliri visum exercitu exuit. Zolyomi avidus vindictæ cædem Principis in quæsito venatu orditur: sed conscientiâ territus monet Principem instituto venationis die recreatione illâ se abstineat, mittat armatos qui assassinos deprehendant in loco facinoris patrandi iis fusis, & concisis Zolyomi compede ferreo quinquaginta pondo vinctus Kövarii squallidissimo mancipatur carceri, omnis humani consortii per totam vitam expers in quo contra

(a) A. 1633.

contra Socerum introducendo peccavit, in eodem punitus memini sæpe retulisse piæ memoriæ Parentem meum, qui tum Zolyomio fidelem operam præstabat, conspirationem corvorum aulicorum invidia fictam fuisse, quibus summi viri virtus formidolosa extitisset. Vidimus nos quoque multis exinde annis ergastulum, ex quo per fenestram unius cubiti longitudine & latitudine patebat prospectus, isque contra adversum murum; sedes, lectus, & compedes Viri clarissimi in memoriam asservantur; Urbanus Reoti Præfectus arci primi mariti sororis nostræ Pater cum Rakoczio Vindictam in libertatem non persuasisset, quantum in se fuit velut in memoriam rerum gestarum veneratus captivum honorifice excepit. Nullæ valuere Cæsaris preces pro Zolyomio, Bethlen cum nec oblivionem actorum, nec generi eliberationem persuadere posset Turcos oppugnat; Turci apud Cæsarem excusant expeditionem pro Bethleniis susceptam salvis pacis legibus. Gnarus tamen Turcicarum fraudium Palatinus Haydones stipendio advocat, & in omnem rem vigilat. Dimicatum sæpius, & plerumque cum detrimento Turcorum, quod Sultanum ægre habuit, jussitque Vezirium Bassam excoriari, tandemque res amicorum ope compositæ, Bethlen restitutus Principem agnovit, Rakoczium Turcus secundum confirmavit.

Inde

Inde moritur Ferdinandus secundus: ejus filius tertius ejus nominis Patri tam in Hæreditariis Regnis, quam Imperio, & Hungariâ successor, toti Hungariæ & Transylvaniæ almam pacem reddidisse videbatur, nisi Jesuiticum sodalitium novas turbas dedisset. (a) Proceres Catholicos, & religiosos multa Protestantibus superiori bello extorto male habebat: Posonii splendidissimum templum Lutherani reædificarunt, quod Cæsar ægre ferens, inhibitorium misit, nuper concessa revocavit. Protestantes tanquam ad anchoram ad Rakoczium confugerunt, offensiorem alio quoque nomine Imperatori. Varadini in cryptâ Ladislai & Sigismundi thesaurus inventus, cum coronâ, sceptro, unionibus, unoque inter cæteros adamante qui ovum Gallinaceum æquaret; sedilibus argenteis, & gemmis facularum instar imicantibus, addito anathemate contra eum qui prius quicquam ex illis sumeret, quam extrema arcis necessitas postularet: hæc Cæsari Regi à Consiliariis petita à Rakoczio denegata. Sed his levioribus majus malum supervenit: accidebat ut nonnulli Hungariæ Dynastæ Forgacsii, Illyeshazii & alii ad Romanensium sacra transirent, (b) aut Catholici Dynastias adipiscerentur, in quibus Protestantium sacra colebantur: Dynastæ sacra ex voluntate mutantes non exiguas

(a) A. 1637. (b) A. 1639.

exiguas turbas dabant, Protestantium templa Catholicis applicabant. Mitior tum quoque Rakocsi causâ non bello pugnaturus rogat Cæsarem & primores privilegia semel concessa servarent, jusjurandum quod prave detorquebant in rectum sensum explicarent, fraudem non discingere, sed distringere perjurium: eo lenior quod Turcus in Oriente occupatus pacem in 20. annos confirmasset. Cæsar vel Rakoczium parvi pendens, vel Hungariæ securus, cuncta cunctatione frustrabatur, Hungaros ad militiam contra Svecos adsciscebat, qui tamen finibus ut egrediantur induci nequiverunt: Rakoczi cum trecenta Protestantium occlusa templa restitui non persuasisset, cum Dorstenshonio Svecico Imperatore colludens: (nam ipsius quidam aulicus in Slesiâ interceptus literas obscurarum notarum ad eum deferebat) vim intentat, accessere simultates inter ipsum, & Homonnajum: Homonnai Protestantes passim expulerat, vina Tokajensia attinuerat à Rakoczio Turco offerenda. (*b*) Transylvanus Polonicos Svecicos, Gallicos, Austriacos oratores in aulá videbat, Austriacis obiter remissis, & Ferdinando III. Cæsare atque Rege hoste proclamato per Hungariam, septuaginta millia bellatorum in Hungariam effundit: rationes scripto pubicatæ inde ab anno 19. Hungari-

(*a*) *A.* 1642. (*b*) *A.* 1644.

Hungariam inter hæreditarias provincias censeri, Ecclesiasticis politica munera deferri, ditiones hæreditarias eis transcribi, Protestantes à muniis arceri; querelas eorum non audiri, Jesuitas iis invitis introductos. Conversus ad Georgii Homonnaii arces, eas rapinâ cæde, & incendiis deformavit, cuncta ad Cassoviam, Cassoviam Forgacsio nequicquam propugnante ad deditionem compulit. Comes Pucchamius viginti millia jussus ipsi opponere, Palatinus octo millia incolarum sub signum cogere contra steterunt: prima velitatio Transylvano improspera; sed studio Hungarorum passim deficientium animosior Adamum Forgacs à Rimaszombatho rejicit. Puccham cum à Nicolao Nadanyi induci non posset versus Agriam cum exercitu proficiscendum ita occulte dum superiori Hungariæ Rakoczi intendit, Transylvaniam occupandam, Transylvanum occludendum inamem moram traxit. Rakoczi factione Regnicolarum occupatis passim locis Tyrnaviam irrumpit: urbs Sigismundo ejus filio & Duglassio Sveco portas aperuit, Episcopi, & Proceres Catholici paulo jam mitiores Canysaium reformatum loci concionatorem per Deum aggrediuntur, supplicant clementiam expugnare vellet, cujus precibus multum Rakoczius dedit; quin nec fortunæ satis fisus ad pacem se flexit, ipsum Cęsarem
aviditas

aviditas finiendi belli tenuit ob aerem peregrinis gravem, (a) annonam charam, & Cassoviæ irritam obsidionem. Pucchamio Posoninm recedere coacto Viennensis aula deproperandam pacem censuit, assenso Rakoczio non sine excandescentiâ Sveci, ipso die Bartholomæi Sancti proclamata; 7. Dynastiæ Transylvano concessæ, 90. templa reformatis recuperata; & cæteræ immunitates Regno restitutæ. Revocato à Svecis milite Dorstensohnius consiliis ingemiscens Prunnæ obsidionem solvit, destitutus socio, fortunâ quoque privandus. Interim moritur Palatinus, sufficitur Drascovitins, & Transylvanicæ pacificationis diploma expeditur, Catholicis exterminatio Jesuitarum contra Regni privilegia esse dictantibus Protestantibus aliud contendentibus, adeo ut acinaces, & bipennes in vicem stringerent. (b) Anno sequenti coronatus in Regem Ferdinandus IV. & pax reddita orbis Christiani propugnatoribus: nec fides Barbaris, quorum trecenti Jaurinum ingressi, à fœminâ intellecti trucidati, urbs divino favore servata. Annus quadragesimus octavus supra millesimum sexcentesimum abstulit Rakoczium, successit filius ejus nominis, pro ut & Ferdinandus 4. in Cæsarem coronatus majoris spei quam gloriæ Augustus postquam 22. annos rebus humanis

(a) A. 1645. (b) A. 1656.

humanis usus fuisset expiravit; (a) Ignatius Leopoldus Germaniam cæterosque Austriacorum Principatus à vitâ Patris obtinuit, gesta florentibus rebus ob metum falsa posterior ætas dicet.

(a) A. 1653.

FINIS.



INDEX RERUM ET VERBORUM:

Quo & obscura quædam explicantur.

Alber-

Baba-

B.

D.

Eugenius

INDEX RERUM.

Mar-

Mi-

Præse-

Strigo-

F I N I S.

ERrata præcipua prior numerus paginam, posterior lineam notat. 6, 30. *l. ductus*. 7. 27. *Kafarak* 13. 4. *ἄνευ* 15. 29. *dele* prout. 21, 18. *pudore*. 24. 7 *ferocioribus*. *ibid. lin.* 26. 27. *l. quia tamen fluminis incertitudinem auget varietas auctorum suis non caret nebulis* 25. 12. *Bandetem*. 27. 9. *Martiano*, 28, 2. *faucius ibid*. 6. *Thinea*, 29. 19.

Rex

x Hunnus domitis. 31. 21. Padum. 33. 16.
ndum. 34. 13. Aladarius; ibid. 17. Dengischus
. 12. Mysiam. 36. 3. varia 39. 16. imperante ibid.
. cum. 40. 8. ipse. 41. 10. Abaris ibid. 12.
acis. 14. supra. 2., Condoriam 28. ibid. dele præ-
ntis. 42. 2. pronunciationem. ibid. 4. Scythis 17.
ingentis, 12. Iuguros. 18. migrationis. 23. foveis,
. 8. populos. 45. 11. μεν. ib. 23. Magnam. 46. 4.
ni.- ib. 18. e. 47. 2. Is 48. 14. rependendam: 49.
Alterum. 51. 20. multi-. 52. 25. terminantes. ib.
5. vocata 30. erupit. 53. 19. Hamum ib. 23. Mol-
via alibi explicata urbs. 54. 2. clausa diripue-
nt: 56. 1. Franciam, 57. 26. dele per. ib. 27. exoscu-
ti. 58. 29. in. 59. 4. imperium, & concordiam esse,
. 30. Charionas: 60. 12. pene. ib. 27. Rhodanum.
8. Tetrarchis. 61. 16. violata sunt. Ottho ib. 21.
vicissent, animadversum. 64. 10. Ipse Dux. 67.
. mortuo. 68. 19. repente, ib. 23. destituebatur. 71.
. Chanadum. 74. 13. exarserant. per &c. 80. 11.
Henrici. 83. monita, ut 85. 4. vinctis, 86. 22. 23.
ft. & commeatus justo precio exhiberi jussus; sed
revi 87. 9. Solymanni. ib. 22. dele postquam. ib.
4. 27. 25. utendum Colomannus insidiosâ civilitate
imulavit: pacem expetit. in excursores animadver-
tatur rogat: nec pars, 88. 25. commeatu. 91. 23. Inde
ib. 28. tractata 95. 10. evanesceret 96. 23. fuit hic
ambobus captus oculis: 105. 22. Quarum in. 107. 21.
indigui ib. 22. maritimis 108. 21. digerere. 111. 12.
persuasa. ib. 14. vitâ cessit. 116. 8. humo aquavit.
119. 22. parem. 128. 2. viis. 131. 17. quam vi 132.
conjicere sit quantum. 134. 19. gerere. Mira visa
ib. 27. spectata. 135. 19. multitudine. 136. 3. sed
cum. 139. 7. 8. venit, cumque. ib. 10. permota. 140.
4. Calissiensi. ib. 10. suos. 15. Bogdano. 141. 12.
reprehendendum. ib. 23. mutue. 142. 14. caducus est
valde 145. 16. Epiro. 19. 20. scissis sese resumentes.
ib. 23. devicit) regno exuti sunt. ib. 26. dele placuit.
146. 2. Principe. ib. 3. is Turci. ib. 23. certo. 27.
Gundus elp. 147. 21. Cariamque. 149. 11. Capti. 14.
ib.

ib. Duci. 16. Bajazethe. 150, evocant. ib. 2.. Soklos. 26. Garais. 151. 2. Iaderam obsidet, communem ib. 27. videbaturque 155 13. sequaces, ib. Ejus tamen ib. 22. pro sub hæc lege Indi. 157. 8. obios Hungari trucidant, 159. 16. elegerunt, 17. regiis. 160. 5. increpuit Hungaros tanquam dissidiosos, & sub. ib. 24. plurimum autem 161. 17. ereptam 162. 6. Sarmentis. 14. dele Amurathes. ib. 26. Mysiâ. ib. 30. Mesithi. 164. 4. tueati. ib. 24. Istadina. Hactenus. 166. 7. Dele Et quamvis & lin. 9. lege obtestatur. ib. 12. dele tamen. ib. 30. Fuisse autem. 167. 11. clamor. ib. 13 quorum, 30. dele quamvis. 169. 4. velit ib. 6. 7. amicissimos, hac in parte Bulcho pacis & fidei studiosissimo, dele quoque esse voluit. ib. 16. quo. ib. 21. dele quamvis. ib. 28. jubetur esse. 29. tam mirere quam timere. 171. 11. deterius. ib. 18. dele qui jam ib. 27. Nandor Fejervar. 175. 4. ferit. 178. 9. 10. Zolyom latroni. 179. 5. Futachum. ib. 19. Vitesium. 180. 14. significante. Duci ib. 20. Vatica 181. 17. bello ib. 26. stele illico. 27. miles. 183. 10. vota. Frustra. ib. 12. eo tracta. 184. 3. Olomucium. 5. ibidem cum Moravia 6. paruit. 185. 21. venienti bello occursurus. 187. 20. facile. 10. dele sane &. 189. 2. nihil timetur grave vulnus. l. 3. dele enim l. 5. dele quamvis. 191. 1 Didymothe 194. 7. 8. supra., fortiter ceciderant, nec Osmanida à Temur talem acceperant cladem. 196. evehendus. Tanta l. 21. dele Sat. 199. 21. Monastinum concessit Albaniam lacessiturus. 200. 15. Iacupes 204. 1. cruciatorum, (ita jam appellabantur) sanctitas. 205. l. 22. pro eum l. Ludovicum. 213. 10. dele; & scribe post filii, l. 22. dele vel. 214. 4. cepit: 215. 4. 5. Valentinum Terecok; passim fortunam sequutum expedivit; quem dum Szygethi obsident. Iohannes & Gritus. 217. 3. prætextor. l. 6. dissidio 220. 5. dimissum. exilio. ib. 25. Bebecum 222 17. spectabat. 226. 24. diploma tradidit. 230. 21. vindicem habuerunt. Ferdinandus. 232. 10. & Fratrem &c.

Vitia, quorum charta est incapax, æquus lector corrigat.


Mc

